De Antisthenis Studiis Rhetoricis.

H. J. Lulofs.

DE ANTISTHENIS STUDIIS RHETORICIS.

DE ANTISTHENIS ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋ STUDIIS RHETORICIS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI S. CRAMER THEOL. DOCT. ET IN FAC. THEOL. PROF. NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET HENRICUS JOANNES LULOFS NATUS IN OPPIDO HELMOND, DIE XIV M. JUNII A. MDCCCC HORA I ET DIMIDIA IN AULA ACADEMICA. ** * * * * * * * *

AMSTELODAMI
APUD C. A. SPIN & FIL.
MDCCCC.

MATRI CARISSIMAE.

Academicis annis exactis officium dulce mihi restat, ut palam gratias agam vobis, viri clarissimi, quorum institutione fructus sum.

Tu vero, promotor aestumatissime KUIPER, pro collata in me benevolentia et doctrina mihi praecipue colendus eris.

CAPUT I.

DE RATIONE, QUAE INTERCEDIT INTER ANTISTHENEM ET SOPHISTAS.

Antisthenes Cynicus inter Socratis familiares haud extrimo loco numerandus egregi am laudem praesertim scriptorum suorum copia et excellentia obtinuit. Etenim non philosophiae morali solum operam dabat, ut reliqui Socratici, sed etiam scriptorem studiosissimum et acutum se praestitit, qui dicendi arte singulari praeditus aliis quoque disciplinis diligentissime studuit: rhetoricae, grammaticae, dialecticae, physicae; quod testantur cum ceteri veteres scriptores multi tum Diogenes Laertius [1]) qui indicem librorum servavit. Ex quibus libris nullus integer ad nos pervenit; tituli soli et fragmenta [2]) tantum supersunt. Postremis autem annis multi viri docti [3]) ad opera Antisthenica animum attenderunt, quorum industriae et ingenii acumini debemus, quod lux multo clarior in hac re est oborta — sed, quod nemo dubitabit, ubi pauca adsunt testimonia de Antisthenis arte scribendi et de ratione, qua argumenta sua tractare solebat, ibi ad multas et diversas sententias

[1]) Diog. Laert, VI, 15—18.

[2]) Antisthenis fragmenta collegit et edidit A. G. Winckelmann Turici 1842. Mullach: Fragm. Philos. Graec. II.

[3]) Ad. Mueller: De Antisthenis vita et scriptis progr. — Chappuis: Antisthène. — Duemmler: Antisthenica et Akademika. — Blass: Attische Beredsamkeit II. — E. Weber: De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore in Stud. Lips. 1887. — H. von Arnim: Leben und Werke des Dio von Prusa. — Joel: Der echte und der Xenophontische Sokrates.

via aperitur, in quibus suo quisque ingenio ducitur. Igitur et audacia aliqua, et modestia opus est ei, qui denuo quaestionem de Antisthenis scriptis instituere vult. Quem laborem si absolvi posse hoc libello putarem, susciperem onus fortasse nimis grave humeris meis; sed pro viribus meis rem agam, dum spero fore ut studia mea utile quicquam offerant simul persuasum habeo nihil esse tam difficile, quam in plurimorum sententiis persequendis, eorundemque controversiis dijudicandis ab omnibus probari.

Non omnia scripta Antisthenis tractare mihi in animo est. Simul utilius et viribus meis magis accommodatum mihi videbatur quaedam seligere, de quibus accuratius inquirerem; ea igitur tractanda sumsi de quibus putabam aliqua cum probabilitate disputari posse.

Quam quaestionem ita instituam, ut primum de studiis rhetoricis agam, quibus summam dabat operam Antisthenes, dein paucis de interpretatione Homerica scriptisque Homericis disseram, tum praecipue de Aiace et Ulixe declamationibus, quae sub Antisthenis nomine circumferuntur et tanquam rhetoricae artis et Homericorum studiorum exempla habenda sunt, ostendam, quid sentiam.

Ac primum quidem indicem a Diogene Laertio servatum consideremus, in quo haecce opera indicata sunt. Observationes, quibus ingens numerus titulorum locum dat, in nostra quaestione fortasse alicuius sunt momenti. Scatet index vitiis, adeo saepe inquinatus est librariorum mendis, ut in singulis propemodum titulis lector offendatur; raro igitur titulis ipsis, vix divisionibus fidem habere possumus. Enumerat Diogenes 62 titulos in decem tomos digestos, quae distributio, ut recte Mueller aliique observant, non ab Antisthene ipso facta est.

[1]) Tomus I. 1. *περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων.*
2. *Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος.*

---

[1]) Secutus sum Cobeti editionem. *Τόμους* membraneos codices, i. e. „einzelne Papyrusrollen"; (Blass.) decem fuisse praeter Diog. Laert. testantur Suid. v. *Ἀντ: οὗτος συνέγραψε τόμους δέκα.* Eudocia p. 56.

3. Ὀδυσσεὺς ἢ περὶ Ὀδυσσέως.
4. Ὀρέστου ἀπολογία ἢ περὶ τῶν δικογράφων.
5. Ἰσογραφὴ ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης.
6. πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Ἀμάρτυρον.

II. 7. περὶ ζῴων φύσεως.
8. " παιδοποιίας ἢ περὶ γάμου ἐρωτικός.
9. " τῶν σοφιστῶν φυσιογνωμικός.
10. " δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικὸς πρῶτος, δεύτερος, τρίτος.
11. " Θεόγνιδος δ′ έ.

III. 12. " ἀγαθοῦ.
13. " ἀνδρείας.
14. " νόμου ἢ περὶ πολιτείας.
15. " " " " καλοῦ καὶ δικαίου.
16. " ἐλευθερίας καὶ δουλείας.
17. " πίστεως.
18. " ἐπιτρόπου ἢ περὶ τοῦ πείθεσθαι.
19. " νίκης οἰκονομικός.

IV. 20. Κῦρος.
21. Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ ἰσχύος.

V. 22. Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας.
23. Ἀσπασία.

VI. 24. Ἀλήθεια.
25. Περὶ τοῦ ἀντιλέγεσθαι ἀντιλογικός.
26. Σάθων ἢ περὶ τοῦ ἀντιλέγειν.
27. περὶ διαλέκτου.

VII. 28. " παιδείας ἢ ὀνομάτων α′ β′ γ′ δ′ ε′.
29. " ὀνομάτων χρήσεως ἐριστικός.
30. " ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως.
31. " δόξης καὶ ἐπιστήμης α′ β′ γ′ δ′.
32. " τοῦ ἀποθανεῖν.
33. " ζωῆς καὶ θανάτου.
34. " τῶν ἐν ᾅδου.
35. " φύσεως α′ β′.
36. Ἐρώτημα περὶ φύσεως β′.
37. Δόξαι ἢ ἐριστικός.
38. περὶ τοῦ μανθάνειν προβλήματα.

VIII. 39. περὶ μουσικῆς.
40. " ἐξηγητῶν.
41. " Ὁμήρου.
42. " ἀδικίας καὶ ἀσεβείας.
43. " Κάλχαντος.
44. " κατασκόπου.
45. " ἡδονῆς.
IX. 46. " Ὀδυσσείας.
47. " τῆς ῥάβδου.
48. Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου.
49. περὶ Ἑλένης καὶ Πηνελόπης.
50. " Πρωτέως.
51. Κύκλωψ ἢ περὶ Ὀδυσσέως.
52. περὶ οἴνου χρήσεως ἢ περὶ μέθης ἢ περὶ τοῦ Κύκλωπος.
53. περὶ Κίρκης.
54. " Ἀμφιαράου.
55. " τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης καὶ περὶ τοῦ κυνός.
X. 56. Ἡρακλῆς ἢ Μίδας.
57. " " περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος.
58. Κῦρος ἢ ἐρώμενος.
59. " " κατάσκοποι.
60. Μενέξενος ἢ περὶ τοῦ ἄρχειν.
61. Ἀλκιβιάδης.
62. Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας.

Distributionem hancce ad grammaticum Alexandrinum referendam esse probabile est, qui, ut Thrasyllus fecit in Platonis operibus, ita Antisthenis libros disponere et explicare conatus est. (Mueller p. 34.)

Indicem breviter percurram; accuratae inquisitioni, praeterquam quod a nostro proposito aliena est, prava Diogenis codicum condicio impedimento est.

Longa est titulorum series, magna argumentorum varietas; inveniuntur enim cuiusvis generis scripta scil:

rhetorica: vol. I.

dialectica: vol. VI et vol. VII usque ad 31: *περὶ δόξης κ. ἐπιστήμης.*

" VII. 37: *δόξαι ἢ ἐριστικούς* 38: *π. τ. μανθάνειν προβλήματα.*

physica: " II. 7 usque ad 10. et vol. VII. 32—36.

ethica (moralia) et politica: vol. II. 10—11 vol. III, IV, V.

Homerica: vol. VIII. et IX.

Iam statim igitur apparet indicem non temere constitutum esse: agnoscitur ratio quaedam disponendi et collocandi, in qua saepe erratur et a qua haud semel receditur, sed auctor, quicunque fuit, ordinem talem proposuisse videtur, qui in tanto scriptorum numero aptissumus erat. Etenim, ut vidimus, plerumque scripta eiusdem generis in eodem tomo collocantur. Erratur v. c. in septimo volumine, ubi stulte dialecticis adiecta sunt physica quaedam opera. (cf. SUSEMIHL Jahrb. f. Philol. 1887, p. 207.) Sed praeter eos errores alia sunt, quae in hoc indice me adverterunt:

α. Idem titulus, ut videtur, nonnunquam plus semel iteratur praeter necessitatem: v. c.

X. 57. *Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος* = IV. 21. *Ἡρακλῆς ὁ μείζων* [1]) *ἢ περὶ ἰσχύος.* VII. 35. *περὶ φύσεως α′β′* = id. 36. *ἐρώτημα περὶ φύσεως* [2]). IV. 20. *Κῦρος* et V. 22: *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας*; X. 58: *Κῦρος ἢ ἐρώμενος* et id. 59. *Κῦρος ἢ κατάσκοποι* fortasse unum idemque opus indicant cui fuit titulus: *Κῦρος.* [3])

β. Hic illic tituli adeo abundanter pluribus verbis exponuntur aut inepte circumscribuntur, ut multa in

---

[1]) Mueller p. 41: Non solum in Eratosthenis Catasterismis c. 40: *καθάπερ Ἀντ.φησι ἐν τῷ Ἡρακλεῖ* sed etiam apud Diog. Laert VI, 104, 105 simpliciter „Hercules" laudatur, quasi unus fuerit eius nominis liber.

[2]) Iam coniunxit Winckelm. auctore Hermanno.

[3]) Cic. ad Att. XII, ep. 38: Cyrus *δ′ε′* mihi sic placuit ut cetera Antisthenis; Chappuis p. 33, putat dua volumina eiusdem libri fuisse. Phrynichus ap. Phot. 158, simpliciter *Κῦρος* librum laudat: *μετὰ τῶν γνησίων αὐτοῦ δύο λόγων τοῦ περὶ Κύρου καὶ τοῦ περὶ Ὀδυσσείας.*

iis supervacanea esse videantur, quae potius omittenda sunt, opinor, iis tantum explicationibus servatis quae prorsus necessariae sint. A Cynicorum breviloquentia et concisa dicendi ratione prorsus abhorrere verborum abundantiam satis novimus; omittenda igitur, quae quodammodo desiderari possunt. Accedit etiam, quod plerumque explanatio fit per voculam περί. Eas autem inscriptionum partes, quae voce περὶ incipiant, plerumque non ab auctore ipso inventas, sed a posterioris aetatis manu additas esse existimo. [1])

Ceterum haec hactenus; quid enim attinet pluribus exponere, quae accuratius observari et certius demonstrari possunt in declamationibus illis quae supersunt. Videamus de titulis opusculorum eorum, deinde et argumentum et stilum consideremus.

Utrumque opus tam Aiantem quam Ulixem, in codice Diogenis optimo iure, ut videtur, primo tomo assignatum, Chappuis p. 43 sq. nescio an Homericorum bellatorum nominibus solis adductus inter ea Antisthenis opera collocat, quae de argumentis Homericis agunt, itaque ad volumen octavum vel nonum transferenda tam haecce censet quam dissertationem de voce πολύτροπος. De titulis primum videamus. In Aiacis titulo summa est concordia. Omnes, quos noverim, editores, in hac scriptura consentiunt: Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος. Per se patet, ut iam Casaubonus observavit, hunc titulum accipiendum esse de Aiacis adversus Ulixem oratione. Aiax semper manu quam lingua validior, nec tamen eloquentiae expers, hic coram iudicibus adversus disertum versutumque adversarium ad facundiam devenisse fingitur a scriptore. Expectamus igitur post Aiacis orationem, Ulixis defensionem, quam

[1]) Similiter Riesen in praefatione ad Terentium Varronem titulos plures, sine causa additamentis refertos, spurios habuit.

sequens titulus indicat. Quamquam hic titulus (vol. I. 3) inter titulos a Diogene commemoratos maxime omnium variat scriptura et forma, vix dubitari licebit, quin eo indicata sit altera illa, quae superest oratio praecedenti Aiacis orationi opposita. Ecce diversae tituli formae:

1. Ὀδυσσεὺς ἢ περὶ Ὀδυσσέως ed. Huebner, Cobet.
2. " ἢ ὑπὲρ " Casaubonus conjecit, recepit Sauppe in Oratt. Att.
3. " ἢ περὶ Ὀδυσσείας Menagius conj.

Videtur mihi nec primus nec secundus titulus huc quadrare, tertius autem absurdus esse.

Etenim vide, quid differant a reliquis titulis eiusdem generis in indice traditis. Inveniuntur tria fere genera titulorum pleniorum, nominibus propriis compositorum:

α′ Nomini proprio adiungitur explanatio, qua materies tractata indicatur sive Antistheni debita sive grammatico:

cf. 21: Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ ἰσχύος. 22: Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας. 26: Σάθων ἢ περὶ τοῦ ἀντιλέγειν. 57: Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος. 60: Μενέξενος ἢ περὶ τοῦ ἄρχειν. 62: Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας.

β′ Nomina diversa conjunguntur:

cf. 48: Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου. 51: Κύκλωψ ἢ περὶ Ὀδυσσέως.

γ′ Singula nomina indicantur:

cf. 41: περὶ Ὁμήρου. 43: περὶ Κάλχαντος. 50: περὶ Πρωτέως. cet.

Si singillatim hosce titulos comparamus, apparet nullum prorsus titulum hunc in modum esse constitutum, ut post nomen casu nominativo positum iteretur idem nomen per voculam περί circumscriptum, quam formam in nostro titulo agnoscimus. Inde igitur affirmare ausim nec primum: Ὀδυσσεὺς ἢ περὶ Ὀδυσσέως nec alterum titulum: Ὀδυσσεὺς ἢ ὑπὲρ Ὀδυσσέως recte sese habere. Quid autem reponemus, quum res ipsa propter turbatam codicum condicionem nostri arbitrii esse videatur? Casaubonus viam demonstravit; operae pretium videtur eius adnotationem ad h. l. plenis

verbis describere: „Nimis certum est legendum esse *ὑπὲρ Ὀδυσσέως* aut certe *λόγος Ὀδυσσέως*, ut modo dixit: *Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος*. Malo *ὑπὲρ* et mecum (scio) sentiet, qui orationem plenam legerit." Legi, sed idcirco mihi quidem illud *περὶ Ὀδυσσέως* (s. *ὑπὲρ Ὀδ.* quod parum differt,) mirum quantum displicet. Quid enim? Num sola facta Ulixis narrantur? Num de eius natura ac indole, *περὶ αὐτοῦ* disputatur? Minime; Aiacis personae persona Ulixis opponitur, sed non describit auctor suis verbis heroem, verum propria oratione utentem facit. Cui scribendi generi nihil magis convenit quam duplex ille titulus: *Ὀδυσσεὺς ἢ Ὀδυσσέως λόγος*. [1])

Et personarum oppositio et analogia hanc formam commendant: inscribamus igitur alteram orationem eadem ratione ac priorem, si quidem alterum titulum additum esse ab Antisthene ipso persuasum habemus. Etenim, si quis aut in tam prava codicum condicione alterum illum titulum (*ἢ Ὀδυσσέως λόγος*) additamentum [2]) censet, ne Diogeni quidem imputandum, aut ab Antisthenis saltem consilio illum alienum esse et ab alio auctore, quem sequebatur Diogenes additamentum iudicat, non habeo, quo magnopere tali iudicio refrager. Saepe enim apud sophistas nomina fere sola inveniuntur eorum, qui primas orationum partes agunt, veluti Gorgiae Helena, Palamedes, Alcidamantis Ulixes et ipsius Antisthenis: 5: *Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης* 20: *Κῦρος* 23: *Ἀσπασία* cet. Quem enim, omissis additamentis, latere potest, qua de causa heroes *Αἴας* et *Ὀδυσσεὺς* opponantur, nominibus solis indicatis?

Postquam de titulis disputavimus iam paucis dispu-

---

[1]) Correctionem hancce tantum comprobari posse, si Diogenes iure declamatiunculas Aiacem et Ulixem Antistheni tribuerit, per se apparet. Post copiose ostendam Diogeni hac in re fidem esse habendam.

[2]) Reiske, Oratt. Gr. VIII, p. 52 affirmat in Parisino codice, revera nudos titulos legi.

tandum est de utriusque oratiunculae ingenio ac indole. Fueruntne scripta rhetorica? Ac convenit necne Antistheni scribendi genus rhetoricum? Libros Antisthenis in indice Diogenis secundum ordinem aliquem digestos atque in volumina distributos esse supra vidimus. Rhetoricis studiis itaque operam ab Antisthene esse navatam iam ipsi primi voluminis tituli declarant, philosophi Aiacem atque Ulixem opera rhetorica fuisse simul eo efficitur, quod in primo volumine collocata fuerunt, in quo volumine non nisi rhetorica scripta inveniuntur. Sane non sufficient haec argumenta, ut statim constituamus idcirco declamationes, de quarum auctore quaerimus, summo iure Antistheni tribui, quia e genere rhetorico sint (id quod nemo negabit, qui vel semel tantum eas perlegerit) sed hoc saltem constabit, declamationum rhetoricum colorem non obstare, quominus Antistheni eas tribuamus.

Et necesse erit et operae pretium videtur accuratius primum exquirere quidnam de Antisthenis studiis rhetoricis aliunde noverimus. Quaerendum ergo est, a quibus Antisthenes rhetoricam didicerit et quo tempore eam artem exercuerit.

Praeterea, quod cum hac quaestione arcte cohaerere videtur, agi debet de peculiari harum declamationum genere. Fortasse enim sunt, qui negent fictum illud disputationis genus, quo duo quidam viri, nomine clari ac rebus, inter se certantes introducebantur, Antistheni Cynico tribui posse. Auctore enim Quintiliano [1]) priores sophistae, Gorgiae aequales declamationes sumere solebant e genere demonstrativo, quod constat in laudationibus aut vituperationibus, orationes autem ad imitationem fori fictae i. e. ex genere iudiciali repetitae circa Demetrii demum Phalerei tempus fingi coeptae esse dicebantur.

Primum nunc videndum, quinam fuerint Antisthenis magistri.

---

[1]) Instit. II, 4, 41. Mueller p. 32.

Vixit Antisthenes ab anno 444° usque ad annum fere 365um.[1])

[2]) Vidit itaque florentem sophistarum artem, audivit facundiam, quam neque Plato opinor tam acriter impugnasset, si parvam ac nullius momenti putasset. Animadvertit igitur Antisthenes adulescentulus, quamnam famam homines illi, summo ingenio et scientia excellentes, adepti essent, et quam famam in erudiendis adolescentibus obtinerent. Eloquentia enim eximia praediti, non solum in studiis grammaticis admodum versati erant, sed omnino studiis liberalioribus vacabant. Ceterum Antisthenem sophistarum institutione usum esse nec quisquam negat et confirmant antiquorum testimonia, inter quae primum laudanda sunt Diog. Laert. VI, 1. Xen. Symp. IV, 62. Nostrum ergo est quaerere, quibusnam in rebus Antisthenes discipulus magistros suos i. e. sophistas secutus sit et quaenam vestigia eruditionis illius inveniri possint. De sophistis itaque paucis mihi disputandum est.

Nectamen post multorum doctos labores in sophistarum philosophemata inquiram. Quid enim attineret?

De scriptis Antisthenis agit dissertatio mea; quapropter, ut constituamus, quid sophistis in arte scribendi debuerit Cynicus, praesertim de litteris sophistarum dicendum erit, quamquam neque diversa, quae singulis sophistis tribuuntur placita, neque argutias, quibus aliorum doctrinas oppugnabant semper silentio premere licebit.

In tractandis sophistarum litteris artificiisque in promptu est ea potissimum mihi in medium proferenda esse, quae Antistheni exemplo fuisse videntur. Quaeram igitur num quae artis sophisticae in fragmentis Antisthenis vestigia supersint, ad certos auctores possint referri. Sophistas, qui Socratis aetate et paulo ante florebant, omnes fere novit Antisthenes.

---

[1]) Quo tempore vixerit, Chappuis p. 171 sq. copiose disputat.

[2]) Chappuis p. 173, quo tempore singulos sophistas cognoverit et audiverit, quaerit.

DE PROTAGORA ET ANTISTHENE.

Protagoram cum a° 435°, a° 430° sequentique Athenis moraretur ab Antisthene auditum esse parum est verisimile, nam puer tum fuit placita autem Protagorea ei haud incognita fuisse probabile videtur, quin etiam multa adsunt documenta, ex quibus apparet Cynicum principia et decreta Protagorae cognovisse. Sic Antisthenis liber 26: *περὶ τοῦ ἀντιλέγειν* (Zeller II, p. 302) quem scripsisse fertur contra Platonem (unde Σάθων prior tituli pars) spectare videtur ad Protagoreum illud: nulli sententiae contradici posse — idem fere argumentum tractavit in praecedenti 25: *περὶ τοῦ διαλέγεσθαι ἀντιλογικός* — quid Antisthenes hac enuntiatione voluerit nimis in vulgus notum est, quam ut iterum exponatur.

Quae enuntiatio philosophi quam late pateat declarant permulta fragmenta. [1]) Antisthenicum illud: *οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν* in scripto 24° cui titulus fuit *Ἀλήθεια* tractatum esse verisimile est. Etenim quem auctorem secutus esse videatur Antisthenes in hac sententia commendanda facile ex ipso titulo, intelligetur. Cui non in mentem venit *Ἀλήθεια* liber Protagorae, [2]) quo Protagoras primus eandem prorsus sententiam protulerat? [3]) Protagoras enim Heraclitum secutus, qui omnia assidue moveri et fluere conten-

---

[1]) cf. Winckelm., p. 34. Diog. Laert. IX, 853: *οὗτος* (Protag.) *τὸν Ἀντισθένους λόγον, τὸν πειρώμενον ἀποδεικνύειν, ὡς οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, πρῶτος διείλεκται* id. III, 24, 35 — p. 36 — p. 35 — p. 4 — p. 40 — p. 60, in fragmentis.

[2]) Winckelm., p. 35: Scite observavit Schleiermacher Platonem refellentem Protagorae *Ἀλήθειαν* potius Antisthenis librum *Ἀλήθειαν* inscriptum impugnasse.

[3]) Mueller, p. 36. — Diog. Laert. IX, 53: *καὶ τὸν Ἀντισθένους λόγον τὸν πειρώμενον ἀποδεικύειν, ὡς οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, οὗτος* (Prot.) *πρῶτος διείλεκται, καθά φησι Πλάτων ἐν Εὐθυδήμῳ* (286 C.).

derat et docuerat res esse tales, quales cuique esse viderentur, easque esse et non esse, ex praeceptoris placitis iure suo efficeret contradici non posse.

Quam rationem Antisthenes quoque, Eleaticorum principia de unitate rerum Gorgiaeque paradoxa secutus, sectatus esse et comprobasse videtur; idem quoque confirmatur placito Antisthenis de identitate quae dicitur: *τὸν οἰκεῖον λόγον* [1]) solum de unaquaque re valere, cuique rei suam tantum exstare proprietatem eique plura tribui non licere: quo igitur et *τὸ ἀντιλέγειν* et *τὸ ψεύδεσθαι* tollitur.[2]) Sed iam satis dixi de utriusque hac in re convenientia: si testimonium quoque vetus requiritis, audite, quid dicat Plato in Euthydemo p. 286 C. *καὶ γὰρ οἱ ἀμφὶ Πρωταγόραν σφόδρα ἐχρῶντο αὐτῷ* (sc. *τῷ λόγῳ*) *καὶ οἱ ἔτι παλαιότεροι. ἐμοὶ δὲ ἀεὶ θαυμαστός τις δοκεῖ εἶναι καὶ τούς τε ἄλλους ἀνατρέπων καὶ αὐτὸς αὑτόν. οἶμαι δὲ αὐτοῦ τὴν ἀλήθειαν παρὰ σοῦ* (Ctesippo sc.) *κάλλιστα πεύσεσθαι. ἄλλο τι ψευδῆ λέγειν οὐκ ἔστι; τοῦτο γὰρ δύναται ὁ λόγος. ἢ γάρ; ἀλλ' ἢ λέγοντ' ἀληθῆ λέγειν ἢ μὴ λέγειν;* Ac verum esse, quod suspicamur, utrumque scilicet in libro, eodem titulo praedito, eandem sententiam promulgasse, cum ex summa utriusque hac in re similitudine tum ex alia quoque causa intellegetur. Nam Antisthenis liber *Ἀλήθεια* dialectici est generis, ut omnia sexti voluminis scripta: inde novum inter utriusque philosophi scriptum vinculum adstringitur; novimus et Protagoram [3]) et Antisthenem magnam operam dialecticae, (quae omnis eruditionis est primaria pars) dedisse.

---

[1]) Cf. Ueberweg: Grundrisz der Gesch. d. Philos, p. 123.

[2]) Cf. Arist. Metaph. IV. 29: *ὁ δὲ ψευδὴς λόγος οὐδενός ἐστιν ἁπλῶς λόγος. διὸ Ἀντισθένης ᾤετο εὐήθως μηδὲν ἀξιῶν λέγεσθαι πλὴν τῷ οἰκείῳ λόγῳ ἓν ἐφ' ἑνός. ἐξ ὧν συνέβαινε μὴ εἶναι ἀντιλέγειν, σχεδὸν δὲ μηδὲ ψεύδεσθαι.*

[3]) Blass ll. I, p. 24 locutus de facundia Protagorea, haec habet: Dies ist die Protagoreische Dialektik und Eristik, die er in seinen Schriften niederlegte und die im Unterricht, weil hier viel Uebung nöthig war, einen Haupttheil bilden musste.

Verum non solum in hac una re cum Protagora convenit [1]) Antisthenes. Operae pretium videtur data opera accurate indicare, quot sint argumenta de quibus post sophistam philosophus egerit, ut appareat quanta fuerit inter utrumque convenientia. Diog. Laert IX, 55 *τῶν σῳζομένων βιβλίων* Protagorae sequentes titulos tradit, quos comparare lubet cum Antisthenicis quibusdam:

Protagoras:		Antisthenes:
τέχνη ἐριστικῶν.	29:	*περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἐριστικός.* [2])
περὶ πάλης.		
περὶ τῶν μαθημάτων.	38:	*περὶ τοῦ μανθάνειν προβλήματα.*
περὶ πολιτείας.	14:	*περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας.*
περὶ φιλοτιμίας.		
περὶ ἀρετῶν.		
περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ κατασταστάσεως.	60.	*Μενέξενος ἢ περὶ τοῦ ἄρχειν.*
περὶ τῶν ἐν ᾅδου.	34:	*περὶ τῶν ἐν ᾅδου.*
περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πρασσομένων.		
προστακτικός.		
δίκη ὑπὲρ μισθοῦ.		
ἀντιλογιῶν δύο.	25:	*περὶ τοῦ διαλέγεσθαι ἀντιλογικός.*

Quid ex hac scriptorum collatione sequitur? Scio equidem in antiquorum philosophorum scriptis non nimium

---

[1]) In convenientia inter Ant. et Prot. indaganda, Joellium ll. p. 357. secutus sum, qui primus, quantum video, ad analogiam titulorum attenderat.

[2]) In libris: *περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἢ ἐριστικὸς-ἤ* ejecit Cobet.: recte ut videtur. *ἐριστικός* (29 et 37) uti *ἀντιλογικός* (25), *ἐρωτικός* (8), *οἰκονομικός* (19), *φυσιογνωμικός* (9), quibus additamentis indoles ac genus libri indicantur, melius adjiciuntur omissa vocula *ἤ*. cf Chappuis p. 34 nt 2, Susemihl in Fleckeis. Jahrb. 1887, p. 207 nt. 4.

Etiamsi haec additamenta a posterioris aevi grammatico imposita esse verisimile sit, tamen iis librorum indoles ita indicatur, ut propter ipsos titulos opponere Protagoreis eos possim. Idem quoque fieri interdum in Platonis dialogis satis notum est.

esse tribuendum titulorum similitudini. Fieri sane potest, ut ne verbo quidem uno liber Antisthenis *περὶ τοῦ μανθάνειν* opusculi Protagorei *περὶ τῶν μαθημάτων* memoriam revocaverit. Sed est aliquid, nisi fallor, quod ex duodecim scriptis Protagorae apud Diogenem memoratis, septem vel eadem vel fere eadem forma tituli apud Antisthenem redeant et hic profecto valebit quod observavit Joël, titulorum similitudine saepe auctores veteres indicasse ex cuiusnam exemplo opera sua constituerint.

Dein uterque tam Protagoras quam Anthisthenes egit de recto verborum usu q. d. *ὀρθοέπεια*; [1]) uterque in universum summam curam in grammaticis studiis posuit in formis grammaticis explicandis definiendaque recte verborum elocutione.

τὸν λόγον uterque ratione ac ordine explicare conatur. Orationem Protagoras dividit quattuor in partes: [2]) *εὐχωλὴν ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν* (cf. Antisthenis librum 30^{um}: *περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως*), *ἐντολήν*; secundum Antisthenem [3]) *λόγος ἐστὶν ὁ τὸ τί ἦν ἢ ἔστι δηλῶν*. Opportune quoque, opinor Joel Protagoreum illud: [4]) *δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις* comparat cum Antisthenis declamationibus Aiace et Ulixe, quae tanquam exemplaria huius enuntiationis accipi possunt.

Denique quanta est concordia in utriusque placitis de institutione *περὶ παιδείας*! Uti Protagoras institutionis praestantiam identidem profitetur, sic Antisthenes eandem summum vitae nostrae officium declarat, eique singularem librum [5]) tribuit. Et quod memoratu dignissimum esse videtur, omnis institutionis fundamentum situm esse

---

[1]) cf. Plat. Phaedr., p. 267 C. 28: *περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων α′ β′ γ′ δ′ ε′* 29 ll. 1: *περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων*.

[2]) cf. Quint. III, 4, 10.

[3]) Diog. Laert. VI, 3.

[4]) Diog. Laert. IX, 55; id. III, 37, 57.

[5]) 30: *περὶ παιδείας*.

autumant in carminum interpretandorum arte—inde Protagoras τὸ περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι τῆς παιδείας μέγιστον μέρος [1]) declarat, inde Antisthenes Homerum prae omnibus laudat et invocat.

DE GORGIA ET ANTISTHENE.

Gorgiam Leontinum, inter sophistas principem, cum legati munere functus apud Athenienses, adulescentium animos ad se adverteret, nova et mirifica arte dicendi novisque placitis Antistheni quoque summopere placuisse notum est, ut constat praecipue testimonio Diogenis Laertii VI. 1: Οὗτος (Ant.) κατ'ἀρχὰς μὲν ἤκουσε Γοργίου τοῦ ῥήτορος, ὅθεν cet. Fortasse non fortuitum est, quod his verbis statim adjicit id, quod ex [2]) Hermippo Callimacheo fluxit, Anthisthenem (eadem dixerim ratione qua diu post Callisthenes inter Macedones artem professus est) magistri artem imitatum in Isthmiorum celebritate Athenienses et laudare et vituperare voluisse; verum enimvero, si fides Hermippo, vox faucibus haesit, nam frequentes homines vidit adesse ex singulis civitatibus, quos vituperare et laudare instituerat — an fortasse iam tum iuvenilis animus ab arte tam fallaci abhorrebat; postea enim magistrum olim celebratum adeo sprevit, ut eum insectaretur in Ἀρχελάῳ [3]) pariter ac in 5°. opusculo: [4]) Ἰσογραφὴ ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης alteroque illo 6°.: πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Ἀμάρτυρον Isocratem et Lysiam perstrinxisse videtur. Nec mirum sophistarum artem respuisse eum, quo fideliorem attentioremque aut magis deditum auditorem Socrates non habuit. Initio autem illius sophistae facultates admodum coluit. Quidnam is

---

[1]) Plat. Protag., p. 320 C.

[2]) Diog. Laert. VI, 2 sq.

[3]) Athen. V, p. 220 D: ὁ δ' Ἀρχέλαος Γοργίου τοῦ ῥήτορος καταδρομὴν ἔχει.

[4]) cf. Blass. ll. II, p. 336. Mueller, p. 18, p. 35.

et admiratus et imitatus est? Ad eam quaestionem dirimendam brevis Gorgianae artis conspectus praeponendus esse videtur.

Mira et nova ars sophistarum aequalibus visa est. Singulari et varia sapientia praediti, vanitate elati, avaritia pleni praesertim docere et instituere volebant; placita mira et nova, paradoxa, induere solebant forma pariter artificiosa et exquisita. Quapropter non miramur eum, qui contendat nihil esse, nec cognosci nec enuntiari posse, praecepta sua externa specie ornasse, quae id praecipue efficeret, ut auditorum animi et aures adverterentur et tenerentur. Quod artificium Gorgias ante omnes assecutus est: reapse haec ars ei propria esse videtur, qui rhetor potissimum appellari vult. Ei praeter argumentum forma orationis res est omnium gravissima, qua ita excelluisse videtur Gorgias, ut illustrissimos quoque scriptores excitaverit ad rationem dicendi artificiosam imitandam. Inde Thucydides, inde Isocrates in libris suis saepe Gorgianae artis vestigia reliquerunt. [1])

τεχνὴ ῥητορικὴ quae secundum Quintilianum tribus in causis praesertim adhibenda est scil. in demonstrativis, deliberativis, judicialibus, etiam ergo amplectitur genus, quod Graece ἐπιδεικτικόν [2]) nominatur, quod quasi [3]) delectationis causa et ad voluptatem aurium comparatum est, copia verborum exquisita sententiarum structura artificiosa auditorem captans. Fuit praesertim Gorgias, qui hac arte elaboravit; huc pertinent eius ἐπιδείξεις, παίγνια, ἄδοξοι ὑποθέσεις, quae omnia proprie nihil nisi commenta facta et ficta a sophista-rhetore eximium in modum propagabant et commendabant novitates sermonis ornatumque verborum immodicum. Arte tali confisus audacter sophista opinio-

---

[1]) cf. E. Norden: Antike Kunstprosa I, p. 95. Blass. I, p. 214, p. 65. Marcell. vit. Thuc. p. 56. cf. infra p. 28.

[2]) Cic. Orat. 37 sq.

[3]) cf. — Ἑλένης μὲν ἐγκώμιον, ἐμὸν δὲ παίγνιον, postrema verba Helenae Gorgiae.

nibus communibus resistit sive vituperans sive laudans dubitare se profitetur de iis, de quibus ab aliis non dubitatur, vanus est philosophus, ea, quae nova invenisse sibi visus est alienis tanquam vulgaribus praeferens. Argumenta [1]) autem tragicos plerumque secutus ex mythis vulgo desumsit: inde quoque artificioso sermoni colores poeticos adiunxit: dixeris poetam qui prosa utitur oratione. Nimirum hoc sibi sumit, ut fabulas ab antiquitate traditas, ad suam rem transferat et, si opus est pro consilio suo mutet, uti poetae quoque scenici eas varie accommodaverunt ad rem praesentem. Cui non ante oculos versatur Helena [2]), quam defendit Gorgias quasi esset injuste adhuc vituperata? Quae enim vel fato vel rapinae vel persuasioni vel amori obsecuta est femina, vituperari non potest. Cui non in mentem venit Palamedes ille, prae omnibus justus et sapiens, cuius mirificam defensionem a Gorgia compositam Reiske [3]) dialectices et rhetorices graecae catechismum appellare ausus est!

Sed quid ego de genere demonstrativo plura argumenter? Nonne auctor Aiacis et Ulixis declamationum dignum se praestat discipulum Gorgiae, qui hoc dicendi genus primus invenisse fertur? Ubi tandem ad laudationem, ad vituperationem, ad suasionem aptior locus datur, quam in certamine illo armorum Achilleorum, in quo id unice egisse auctor videtur, ut Ulixes πολύτροπος laudaretur, Aiax rudis reprehenderetur, ars loquendi, Ulixis exemplo, commendaretur?

Et si ad stilum artificiosum, ad sententias immoderate ornatas, ad verba cum cura, paene nimia electa attendimus, quibus utraque oratio referta est, apparet auctorem rhetoricae studiosissimum fuisse. Quisnam autem orationes scripsit? Dicunt Antisthenem.

Antisthenem summos ex Gorgiae eruditione fructus percepisse testatur Diogenes Laertius VI. 2: τὸ ῥητορικὸν εἶδος

---

[1]) cf. Blass I p. 72.
[2]) " " ib.
[3]) Reiske Oratt. Graeci. praef. vol. VIII.

ἐν τοῖς διαλόγοις ἐπιφέρει καὶ μάλιστα ἐν τῇ Ἀληθείᾳ καὶ τοῖς Προτρεπτικοῖς. Exhortationum liber, qui ergo rhetoricae exemplar habendus est secundum Diogenem saepenumero apud veteres commemoratur. Si igitur paulo longius hac in re moramur, id habeat aliquid excusationis, quod nostri quoque viri docti huic libro summam dederunt operam. Jam Winckelmann [1]) in fragmentis quinque locos enumerat qui ad opus hocce referendi sunt. Causa, cur Προτρεπτικῶν liber tam frequenter laudatur haec esse videtur: praeterquam, quod in his dialogis maxime Gorgiae dicendi genus apparuit, hic quoque in singularum quarundam vocum usum incidimus, quae singula vocabula grammatici et lexicographi diligenter adnotaverunt. Sic notatu digna, ex Προτρεπτικῶν libro collecta memorantur sequentia verba aut dicta, si mavis: [2]) βομβυλιὸς, δελφάκιον, οὔρειος βῖκος quorum primum βομβυλιὸς vocabulum ita memoratur, ut certe vestigia [3]) quaedam libri perditi deprehendere possimus. Etenim Isocrates in Helena § 12: τῶν μὲν γὰρ τοὺς βομβυλιοὺς καὶ τοὺς ἄλας καὶ τὰ τοιαῦτα βουλευθέντων ἐπαινεῖν οὐδεὶς πώποτε λόγων ἠπόρησεν perstringere videtur Antisthenem (cf. id. §§ 1, 4, 8 ubi etiam Cynicus reprehenditur). Alia accedunt.

Athenaeus XI p. 784 C. [4]) ubi iterum propter βομβυλιοῦ mentionem fragmentum fortasse Exhortationum relatum invenimus, etiam huc quadrat. Qui locus statiim in men-

---

[1]) p. 20, 21. cf. Joel, p. 506.

[2]) βομβυλιὸς Pollux VI, 16, 98: στενὸν ἔκπωμα καὶ βομβοῦν ἐν τῇ πόσει, ὡς Ἀντ. ἐν Προτρεπτ. Id. X, 19, 68. Schol. Apoll. Rhod. II, v. 571. Erotian, p. 104 Franz. — δελφάκιον cf. Athen. XIX, p. 656 F. Ἀντ... καὶ ἐν Προτρ. „ἀντὶ δελφακίων τρέφεσθαι". οὔρειον βῖκον. Photius, p. 361, 21: οὐροδόκην: τὴν ἀμίδα Ξενοφῶν, οὐρ. β. Ἀντισθένης. Ex omnium consensu auctores vocem βομβυλιὸν ad Protreptica referunt.

[3]) Blass. ll. II, p. 336, nt. 6. Mueller, p. 18, nt. 4. Chappuis, p. 24, nt. 2.

[4]) βομβυλιὸς, θηρίκλειον Ῥοδιακόν. οὗ περὶ τῆς ἰδέας Σωκράτης φησίν: „οἱ μὲν ἐκ φιάλης πίνοντες ὅσον θέλουσι τάχιστ' ἀπαλλαγήσονται, οἱ δὲ ἐκ βομβυλιοῦ κατά μικρόν στάζοντες.

tem revocat locum ex Xenophontis Symposio II. 26.[1]) Utroque enim loco admonemur, ne magnis poculis in convivio utamur, ut ebrietatem evitemus — melius est minutis et rorantibus poculis uti, quae leviter convivas irrorant (Cic. Cat. 14), quum parum vini capiant. Utroque loco Socrates loquitur et eandem fere sententiam profert de vini usu moderato in convivio; sed, quod praecipue ad quaestionem nostram pertinet, eadem ratione, eadem forma (scil. Gorgiana) sententiae commemorantur. Incipit enim apud Xenophontem Socrates hoc modo: *ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω.* Videtur autem Socrates non ita usus esse aliquot verbis Gorgiae, ut auditoribus Calliae aliisque gratificaretur, sed ut eum pungeret, qui istius institutione praecipue delectaretur, Antisthenem.

Ex quibus testimoniis Joel ll. haecce ad rem nostram pertinentia, concludit: In Protreptico dialogo Antisthenes partim Gorgiae discipulum partim Socraticum se praebuit; erat dialogus (cf. Diogenem) et quidem Socraticus (cf. Mem. I, 4, 1. Id. IV, 2. Athen. ll.) Verbis *ἵνα—εἴπω* significare videtur Socrates Antisthenem, qui, ut Diogenes tradit *τὸ ῥητορικὸν εἶδος* adamavit, Gorgiam secutus.

Cui arti maxime indulsisse Cynicum Stobaeus[2]) quoque testatur: Antisthenes interrogatus a quodam, qua eruditione filio opus esset, hoc respondisse fertur: *εἰ μὲν θεοῖς μέλλει συμβιοῦν φιλόσοφον (δίδαξον αὐτὸν), εἰ δὲ ἀνθρώποις, ῥήτορα.* Obiter memorare lubet Antisthenem rhetoricam artem non solum didicisse, sed eam quoque docuisse in schola atque parcum minerval trium quattuorve minarum a discipulis quaesivisse.[3])

Quamdiu Antisthenes rhetoricam excercuerit, incertum est.

---

[1]) Sunt verba Socratis: *ἦν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν (ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω) οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν ἀλλὰ ἀναπειθόμενοι πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.*

[2]) Stob. Append. e Ms. Flor. ap. Gais cf, T. IV, p. 41. — Winckelm. p. 65. — Joel p. 354 nt. 1. confert. Mem. IV, 6, 15.

[3]) Isocrat. de soph.

Fortasse autem dixerit quispiam parum ad nostram rem attinere disputationem de Antisthenis studiis Gorgianis, quandoquidem probabile esse videtur reiecisse eum rhethoricam artem, cum semel Socrati se adiunxisset. Quae sententia primo obtutu speciem veri habet. Mihi vero, uti iam v. d. de Arnim [1]) copiose exposuit, neutiquam hoc constare videtur. Quid, quaeso, prohibebat, quominus Antisthenes, Socratis quamvis fidelissimus et carissimus sectator, priora studia interdum forte, invito quidem magistro, continuaverit, quum praesertim noverimus eum, postquam Socratem sectari coeperit, tamen summa sui et confidentia et arrogantia, poetas interpretari, perrexisse, quae ratio sane prorsus a Socratica ratione differebat? Quid obstat, quominus multa scripta philosophica ab Antisthene rhetorica arte ornata esse suspicemur, quorum argumenta probabile est ex colloquiis cum Socrate orta esse? Controversiae quoque inter Isocratem et Antisthenem, plerumque e simultatibus de quaestionibus rhetoricis ortae, satis demonstrant, uti de Arnim recte ostendit, ne postremis quidem aetatis annis Antisthenem priora studia neglexisse. Sed quid plura disputo? Nonne litem dirimit, quod permultis locis, quibus Socrates et Antisthenes colloquentes a Xenophonte inducuntur et in Memorabilibus et in Symposio, Socrates aut ironice, aut apertis verbis, Antisthenis studia rhetorica perstringit? Quod sane Socrates non fecisset, si Antisthenes iam prorsus studia ea dimisisset.

Itaque, etiam postquam Socratem audire coepit rhetoricam et dilexit et exercuit.

Nec mirum, philosophus enim, qui in omnibus disciplinis, in tota propemodum eruditione, ea studia summa habuit, quae versantur in verbis recte distinguendis et explicandis et quae pertinebant ad optimas et acutissimas sententiarum formas inquirendas, vix firmiora auxilia invenire potuit, quam quae oriuntur ex studiis rhetoricis.

Haec omnia mihi persuadent, haud minimum tribuisse

---

[1]) Il. p. 36 sq.

Antisthenem rhetoricae; et merito ille quidem. Nonne enim penitus haec opinio hominum animis infixa haeret τῇ παιδείᾳ nullam rem melius inservire posse, quam artem rhetoricam? Summopere itaque Gorgiae rationem esse habendam inquirentibus in Antisthenis institutionem luce clarius est.

Mihi vero, quoniam consilium est disserere de duabus declamationibus et de scriptis Homericis, quae sub Antisthenis nomine feruntur, via ad accuratiorem disquisitionem de genere dicendi, quod in iis declamationibus servatur, ita pramunienda esse videtur, ut iam nunc quaeram, num in dispersis reliquis fragmentis vestigia deprehendamus, quae ad notam magistri artem iter intendant. [1]) Pauca sane illa fragmenta sunt, a Winckelmanno collata, sed ni fallor in quaestione nostra dirimenda documenta haud spernenda. Praeponere debeo brevem Gorgianae artis et dicendi rationis conspectum; nam locupletius exponere eloquentiae Gorgianae elementa neque huius loci est nec post egregia Geelii [2]), Volkmanni, Blassii, Nordeni studia quicquam attinet.

Gorgias, uti novimus, orationem ornat quam maxime, inducit poeticas licentias, adhibet verba poetis propria aut secundum poetarum normas ficta, utitur verbis novis et compositis, quibus omnibus magnificentia stili quaeritur.

Sententiae plerumque aequis fere partibus i. e. periodis constant, (unde concinnitas quaedam oritur partium) numerosque metrica fere ratione constitutos efficiunt. Ad artificia haecce, quae ubique in Gorgianis scriptis conspiciuntur, accedit, ut in sententiis accurata antithesium convenientia earundemque aequata longitudo alternentur, translationes et superiectiones abundanter usurpentur. Oratio hisce rationibus amplificata praeterea extra modum

---

[1]) Iam Mueller ll., p. 26 nt. 2: in dictis Antisthenis esse vestigia quaedam pauca Gorgianae artis observavit.

[2]) J. Geel: Historia Critica Sophistarum, p. 48—62. Volkmann: die Rhetorik der Griechen und Römer. Blass. ll. Norden ll.

σχήμασιν rhetoricis ornata est, singulis fere in verbis conspicuis, e quibus praecipue commemoranda sunt haecce: [1]) παρίσωσεις (s. πάρισα), ἰσόκωλα, ἀντιθέσεις (s. ἀντίθετα) quae a Cicerone in Oratore 175 breviter explicata: sunt „paria paribus adiuncta et similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte etiamsi id non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit, sed eis usus est intemperantius". Accedunt ὁμοιοτέλευτα (de quibus Cicero ll. 135) — cum similiter vel cadunt verba (proprie ὁμοιόπτωτα) vel desinunt; ἀσύνδετα (ll. 135) — cum demptis conjunctionibus dissolute plura dicuntur — παρονομασίαι [2]) s. agnominationes, quibus varii verborum lusus intelliguntur v. c. σχῆμα ἐτυμολογικόν, ἀνανάκλασις cet.

Haecce satis sunto de Gorgiana arte. Transeo nunc ad Antisthenem atque ut verum esse appareat, quod suspicor, nempe Antisthenem eum magistrum rhetorico in stilo adhibendo imitatum esse, rem ipsam exemplis illustrioribus ex eius fragmentis allatis, demonstrabo.

I. ἀντιθέσεις.

p. 18 [3]), fr. 11 [4]). Marc. Aut. VII. 36: Ἀντισθενικόν· βασιλικὸν μὲν εὖ πράττειν, κακῶς δ' ἀκούειν.

id. Arr. Epict. diss. IV. 5: τί οὖν λέγει Ἀντ., οὐδέποτ' ἤκουσας, βασιλικὸν (ὦ Κῦρε) πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν [5]).

p. 34. fr. 44. Schol. ad. Arist. p. 66. Brandis Ἀντ. — ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δ' οὐχ ὁρῶ.

---

[1]) Dedita opera addidi Ciceronis acutam et concisam explicationem figurarum. In Oratore saepius de tropis et figuris agit cf. 38, 65, 84, 164, 220 sq. — Difficile videtur semper inter varias formas accurate distinguere.

[2]) Cic. de Orat. II, 63: genus, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum v.c. nobiliorem et mobiliorem, de et te, adversus et aversus. Cf. Quint. IV, 3, 53; IX, 3, 66.

[3]) pagina apud Winckelmannum.

[4]) fragmenta apud Mullachium.

[5]) Acutius dixit Arrianus per chiasmum.

p. 35. id. ibid. p. 68: Ἀντ. — ἄνθρωπον ὁρῶ, ἀνθρωπότητα δ'οὐχ ὁρῶ. Dissensio inter Platonem et Cynicum de ideis satis nota est.

p. 56. fr. 77. Diog. Laert. VI. 4: — οἱ μὲν γὰρ νεκροὺς, οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσιν, inde praestat in corvos quam in assentatores incidere.

p. 59. fr. 89. Stob. T. 45, 28. Gaisf. p. 252. Antisthenes interrogatus, quomodo τὴν πολιτείαν adiri oporteret, dixit: καθάπερ πυρὶ, μήτε λίαν ἐγγὺς, ἵνα μὴ καῇς, μήτε πόρρω, ἵνα μὴ ῥιγώσῃς.

p. 60. fr. 93. Diog. Laert. VI. 3. Interroganti cuiusmodi uxorem duceret, respondit: — ἂν μὲν καλὴν, ἕξεις κοινὴν, ἂν δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν.

II. παρονομασίαι.

p. 16. fr. 7. Procl. in Plut. Alcib. p. 98 Vol. I. Kreuzer: Antisthenes de adulescente apud Chironem educato: μέγας γὰρ (φησι) καὶ καλὸς καὶ ὡραῖος, οὐκ ἂν αὐτοῦ ἠράσθη δειλὸς ἐραστής.

p. 19. fr. 16. Athen. XIII. p. 589. E.: Antisthenes de Pericle, amore Aspasiae deperdito: — ἐρασθέντα φησὶν αὐτὸν Ἀσπασίας δὶς τῆς ἡμέρας εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα ἀπ'αὐτῆς ἀσπάζεσθαι τὴν ἄνθρωπον.

p. 34. cf. supra: ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δ'οὐχ ὁρῶ, ἄνθρωπον ὁρῶ, ἀνθρωπότητα δ'οὐχ' ὁρῶ.

p. 53. fr. 70. Clem. Alex. Protr. p. 64 Pott.: Antisthenes vulgari religione haud obstrictus, inquit: οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν.

p. 56. Diog. Laert. VI. 4 cf. supra: κρεῖττον ἔλεγε εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν.

p. 58, fr. 83. Stob. T, 6, 7. Antisthenes de voluptatibus dixit: τὰς μὴ κατὰ θύραν εἰσιούσας ἡδονὰς ἀναγκαῖον μὴ κατὰ θύραν πάλιν ἐξιέναι —

p. 60, fr. 92. Stob. T, 82, 8. οὐκ ἀντιλέγοντα δεῖ τὸν

ἀντιλέγοντα παύειν, ἀλλὰ διδάσκειν· οὐδὲ γὰρ τὸν μαινόμενον ἀντιμαινόμενός τις ἰᾶται.

p. 60, fr. 92. Diog. Laert. VI, 3; — cf supra: ἂν μὲν καλὴν ἔξεις κοινήν, ἂν δὲ αἰσχρὰν, ἔξεις ποινήν.

id. fr. 95. Diog. Laert. VI, 3: Cuidam, qui se Antistheni in disciplinam dare vellet, roganti, quid opus esset, respondit: βιβλιαρίου καὶ νοῦ καὶ γραφείου καὶ νοῦ καὶ πινακιδίου καὶ νοῦ.

p. 61, fr. 98. Diog. Laert. VI, 5: ὥσπερ ὑπὸ τοῦ ἰοῦ τὸν σίδηρον, οὕτως ἔλεγε τοὺς φθονεροὺς ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἤθους κατεσθίεσθαι.

p. 65. fr. 121. Plut. de Stoic. resp. XIV. 13. p. 356: τοῦ Ἀντισθένους: τὸ δεῖν κτᾶσθαι νοῦν ἢ βρόχον. potius corrigendum cum Diog. Laert. VI, 24: τὸ δεῖν κτᾶσθαι λόγον ἢ βρόχον.

III. Πάρισα, quibus saepe ἰσόκωλα iunguntur:

p. 17, fr. 9. Athen. V, p. 220 C. Antisthenes in altero Cyro de Alcibiade dixit:
— Ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι (λέγει) | καὶ εἰς γυναῖκας | καὶ εἰς τὴν ἄλλην διαίταν. | συνεῖναί γάρ φησιν αὐτὸν καὶ μητρὶ | καὶ θυγατρὶ | καὶ ἀδελφῇ, | ὡς Πέρσας. cf. Eustath. ad Hom. Od. XI, p. 378. ed. Rom.

id. fr. 10. Athen. XII, p. 534 C. iterum de Alcibiade acerbe iudicat:
— ἰσχυρὸν αὐτὸν | καὶ ἀνδρώδη | καὶ ἀπαίδευτον | καὶ τολμηρὸν | καὶ ὡραῖον | ἐφ' ἡλικίας γενέσθαι φησίν.

p. 23, fr. 24. Theodor. Gr. Affect. Curat. Disp. [1]) I, p. 477. ed. Paris, sec. Ant. deus nemini similis:
— ἀπὸ εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, | ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, | οὐδένι ἔοικεν.

[1]) Sintne haec verba ipsius Antisthenis, admodum in certum videtur. cf. Clem. Alex. Protrept., c. VI, § 71, p. 61. Pott. — id. Strom. V, c. 14. § 109.

p. 34, fr. 44. Verba in Scholiis ad Arist. p. 66 et p. 68 ed. Brandis. (cf. supra p. 22) prorsus comparibus constant partibus.

p. 56. fr. 77. Diog. Laert. VI, 4. cf. supra.

p. 57, fr. 81. Stob. T. I. 30: *οὔτε συμπόσιον | χωρὶς ὁμιλίας | οὔτε πλοῦτος | χωρὶς ἀρετῆς | ἡδονὴν ἔχει.*

p. 58, fr. 86. Stob. T. 10, 42: *φιλάργυρος | οὐδεὶς ἀγαθὸς | οὔτε βασιλεὺς | οὔτε ἐλεύθερος.*

p. 59, fr. 88. Stob. T. 29, 65: *ἡδονὰς (τὰς μετὰ τοὺς πόνους) διωκτέον, | ἀλλ'οὐχὶ τὰς πρὸ τῶν πόνων.*

id. fr. 89. Stob. T. 45, 28. cf. supra: — *καθάπερ πυρὶ, | μήτε λίαν ἐγγὺς, | ἵνα μὴ καῇς· | μήτε πόρρω | , ἵνα μὴ ῥιγώσῃς.*

id. fr. 90. Stob T. 49, 47. Causa cur carnifices beatiores tyrannis sint, haec est sec. Ant. — *ὅτι ὑπὸ μὲν δημίων | οἱ ἀδικοῦντες ἀναιροῦνται | ὑπὸ δὲ τυράννων | οἱ μηδὲν ἁμαρτάνοντες.*

p. 60. fr. 93. Diog. Laert. VI, 3. cf. supra: — *ἂν μὲν καλὴν | ἕξεις κοινὴν | ἂν δὲ αἰσχρὰν | ἕξεις ποινήν.*

id. Diog. Laert. VI, 3. cf. supra: prorsus aequis partibus constat.: *βιβλιαρίου καὶ νοῦ* e. q. s.

p. 64, fr. 119. Plut. de util. exinim. cap. p. 89 B. ed. Paris: — *τοῖς μέλλουσι σῴζεσθαι | ἢ φίλων δεῖ γνησίων | ἢ διαπύρων ἐχθρῶν. | οἱ μὲν γὰρ νουθετοῦντες | τοὺς ἁμαρτάνοντας | οἱ δὲ λοιδοροῦντες | ἀποτρέπουσι.*

p. 65, fr. 125. cf. supra p. 19, p. 407: cf. supra: *εἰ μὲν θεοῖς μέλλει συμβιοῦν | φιλόσοφον, | εἰ δὲ ἀνθρώποις | ῥήτορα.*

IV. *ὁμοιοτέλευτα*, identidem cum prioribus conjuncta vidimus:

p. 19, fr. 16. Athen. XIII. p. 589 E. cf. supra: — *εἰσίοντα καὶ ἐξίοντα.*

p. 29, fr. 35. Clem. Alex. Strom. II. 20 maledice de Venere dixit: — *τὴν Ἀφροδίτην.... κἂν κατα-*

τοξεύσαιμι, εἰ λάβοιμι, ὅτι πολλὰς ἡμῶν καλὰς καὶ ἀγαθὰς γυναῖκας διέφθειρεν.

p. 52, fr. 66. Arist. Polit. III, 8: Ἀντ. ἔφη τοὺς λέοντας δημηγορούντων δασυπόδων καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας ἔχειν. (pr. ὁμοιόπτωτον: similis casus iteratur).

p. 55, fr. 75. Arr. Epict. Diss. III. C. 24, 67 sq. Diogenes quem „servitute" Antisthenes liberavit, — ἐδίδαξέ με τὰ ἐμὰ καὶ τὰ οὐκ ἐμά. κτῆσις οὐκ ἐμή. συγγενεῖς, οἰκεῖοι, φίλοι, φήμη, συνηθεῖς τόποι, διατριβή, πάντα ταῦτα ὅτι ἀλλότρια. Σὸν οὖν τί; Χρῆσις φαντασιῶν. ταύτην ἔδειξέ μοι ὅτι ἀκώλυτον ἔχω, ἀνανάγκαστον, οὐδεὶς ἐμποδίσαι δύναται, οὐδεὶς βιάσασθαι ἄλλως χρήσασθαι ἢ ὡς θέλω. pr. ὁμοιόπτ. ut initio nomi. in-α.

p. 56. fr. 77. Diog. Laert. VI, 4. cf. supra: κόρακας.... κόλακας.

p. 57. fr. 80. Dio Chrys. VIII. p. 275: Antisthenes de Diogene iudicans: dixit — τοῖς σφηξὶν αὐτὸν ὅμοιον εἶναι καὶ γὰρ τῶν σφηκῶν εἶναι τὸν μὲν ψόφον τῶν πτερῶν μικρὸν, τὸ δὲ κέντρον δριμύτατον.

p. 58. fr. 83. Stob. T. 6, 2. cf. supra p. 23. — δεήσειν οὖν τμηθῆναι ἢ ἐλλεβορισθῆναι.

id. fr. 84. Stob. T. 18, 27. τὰς μὴ κατὰ θύρας, φησὶν ὁ Ἀντ. εἰσιούσας ἀπολαύσεις δεήσει ἢ σχασθῆναι ἢ ἐλλεβορισθῆναι ἢ πάντως λιμαγχονηθῆναι, κακὰς ἀμοιβὰς ἐκτίνοντα τῆς προγεγενημένης ἀπληστίας ἕνεκα μικρᾶς καὶ ὀλιγοχρονίου ἡδονῆς.

p. 59. Stob. T. 45, 28: cf. supra p. 25. — κάπης... ῥιγώσης.

ib. id. T. 49, 47: cf. supra.

p. 60. Diog. Laert. VI. 3: cf. supra p. 24. κοινήν... ποινήν.

ib. id. 4: cf. supra βιβλιαρίου καὶ νοῦ, καὶ γραφείου καὶ νοῦ καὶ πινακιδίου καὶ νοῦ.

p. 64. fr. 119. Plut. cf. supra: τοῖς μέλλουσι σώζεσθαι ἢ

φίλων δεῖ γνησίων ἢ διαπύρων ἐχθρῶν. οἱ μὲν γὰρ νουθετοῦντες τοὺς ἁμαρτάνοντας, οἱ δὲ λοιδοροῦντες ἀποτρέπουσι.

p. 65. fr. 122. Plut. vit. Pericl. I. de Ismenia tibiis pulchre canente dixit: ἄνθρωπος μοχθηρός· οὐ γὰρ ἂν οὕτω σπουδαῖος ἦν αὐλητής.

V. Possum ex hac ratione plurimas formas rhetoricae orationis afferre, sed nolo esse longus in re tot exemplis contestata. Igitur reliquas figuras [1]) omittam; nam quid verbi causa loquar de notissimis ἀσυνδέτοις, quibus usi Cynici omnes maximum pondus verbis attribuebant ita, ut acerba et concisa ἀποφθέγματα auditorum animis fere inculcent? Postremo loco ad singularia quaedam stili attendere velim, quae constat iam Gorgiam quoque adhibuisse (cf. Blass. I ll.), ad ingentem scilicet compositorum numerum (v. c. Diog. Laert, VI 105 [2]) inveniuntur in eadem sententia ἀναπόβλητον — ἀξιέραστος — ἀναμάρτητος), ad frequentem usum adjectivorum, ceteraque eiusmodi.

Sed haec hactenus. Nunc statim possem subiicere conspectum quo appareat, quam frequenter figurae eaedem occurrant in declamationibus duabus illis, sed certa de causa hanc disquisitionem differam. Etenim conjunctim, quoad possum, tractare mihi in animo est omnia, quae de Aiace et Ulixe dicenda sunt. Jam nunc equidem, si quid ex illis argumentis praesumere licet, in declamationibus eis stilum manumque Antisthenis inveniri contendo: nusquam in fragmentis evidentiorem Gorgianae facundiae imitationem deprehendimus, nusquam Antistheneae doctrinae vestigia manifestiora inveniuntur.

Si autem rogamus, qua causa motus, quove consilio Antisthenes eam praecipue artem sectatus sit, quae ab ipsius philosophia, simplicissima quaeque et naturae maxima

---

[1]) cf. Weber p. 209 sq.

[2]) Sic ait Antisthenes in Hercule.

convenientia praesertim laudante, tam longe remota esse videretur, non diu in tenebris versabimur.

Gorgias rhetor hominum animos summa ipsius admiratione affecit, ipsa rationis suae novitate adiutus; accedebat eloquentiae splendor et affectata quaedam ostentatio, quam et in moribus et in praeceptis prae se ferebat. [1]) Gorgias in conventu poscere ausus, qua de re quisque vellet audire, [2]) artibus eiusmodi usus, quibus auditores teneret, eloquentiae vim ac suadelae suavitatem summam [3]) adeptus, non solum gloriae cupiditati et quaestus aviditati indulsit, sed etiam sophistarum more novitatum studiis id efficere se putavit, ut aequales rationem dicendi novam captiosamque sequerentur et argumentationem imitarentur.

Et revera hoc ei contigisse novimus. Invenit imitatores et sapientes quidem et illustres viros. Rem non incognitam paucis exemplis illustrare sufficiet.

Thucydides [3]) enim pariter ac Gorgias a communi sermone, a vulgari verborum compositione abhorret; hac in re eum saepius sophistam esse secutum denotant sequentia. Thucydides identidem adjectiva neutrius generis pro substantivis adhibet v.c. *τὸ πιστόν, τὸ ἐπιεικές, τὸ βουλόμενον, τὸ ὀργιζόμενον, τὸ θυμούμενον* (cf. Gorgiana: *τὸ ἐπιεικές, τὸ δίκαιον*), substantiva a verbis derivata pro verbis v.c. *τολμητής, κινδυνευτής, εἰκαστής* (cf. Gorgiana *θεράποντες, κολαστής*); dein novas fingit voces (*ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων* sec. Dionys de Thuc. iud. c. II 24.) ut Gorgias quoque fecit; denique uterque summam posuit curam in verborum collocatione et constructione id quod ll. 2 Dion. vocat *τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων*).

Quod attinet ad Isocratem, longum est de singulis dicere, quibus convenit cum Gorgia. Quid enim loquar de utriusque stilo artificioso, de figuris et tropis, de periodis, de metro in prosa sermone adhibito?

Quantum Antisthenes cum Gorgias conveniat, paucis indicavi. Neque vero omittenda sunt discrepantiae indicia.

---

[1]) cf. Weber ll., p. 198 sq. [2]) cf. Cic. de Orat. III, 32, 129.
[3]) cf. Blass. I, p. 65. Classen praef. ad Thuc. p. LXXVI sq .

Ut iam observavimus, Gorgias rhetoricae auxilio hoc unice efficere studet, ut aures commoveat sonorum concinnitate figurarumque accurata compositione: itaque argumentum, de quo agit, ei minoris est momenti: id tantum spectanti, quomodo multitudinem ingenio suo moveat.[1]) Quare quicquid erit sententiis aut cogitatis leve vel jejunum, verbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum esse debet; nam scit talis orator (aut auctor) eventum ad se ipsum non ad causam referri.

Ac vide, quid differat Antisthenes. Profert quidem eandem artem, usurpat eadem artificia, sed sequitur consilium prorsus diversum. Quid enim stultius quam *τῆς ἀδοξίας*[2]) laudatorem ad laudis aut gloriae finem tendere? Est philosophus et moralis quidem, proponit certa exempla virtutum et vitiorum, vituperat audacter reliquos inania cupientes, increpat insolenter mores aequalium depravatos, suis praeceptis ad meliora ducit, semet ipsum tanquam verae vivendi rationis exemplum offert. Quum autem sagacissime naturam hominum perspiciat, bene intellexit et sensit communem sermonem, vulgarem verborum compositionem et sensum, ad consilia sua commendanda non satis valere. Opus ei est, ut cum Cicerone loquar, sermone nervos et aculeos habente,[3]) ut pungat, ut irritet homines. Idcirco in Cynicis[4]) elocutionibus acuta acerbitas[5]), agrestia

---

[1]) Quint. Inst. Or. VIII, 3.

[2]) Diog. Laert. V, 11 — *τήν τε ἀδοξίαν ἀγαθὸν καὶ ἴσον τῷ πόνῳ* — nominis obscuritatem Diogenes quoque commendat. cf. Arr. Epict. I, 24: *ἐνδοξία ψόφος ἐστὶ μαινομένων ἀνθρώπων.*

[3]) Joel p. 507: Als sehr werksam rühmen ja auch die Späteren die antisthenischen Schriften und die Mischung von sokratischer Dialektik, gorgianischer Beredsamkeit und kynischer Herbheit, der Reichtum drastischer Bilder und antithetisch scharf geschliffener Pointen und Termini musste ihnen ein eindruckvolles, charakteristisches Gepräge geben, ob nun auch die Wirkung mehr anregend als überzeugend war.

[4]) Veritatem Cynicos omnes prae omnibus adamasse constat. cf. Weber p. 161—189.

[5]) Antisthenes ap. Diog. Laert. VI, 3: *μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην* (contra Aristippum).

convicia [1]), malignae comparationes [2]), audaces et deformes saepe translationes [3]) nos advertunt: quibus omnibus inmiscentur figurae a Gorgia primum inductae, ab Antisthene Cynicorum patre commendatae.

Huc pertinent asundeta, veluti notum illud: *ἀξιέραστος ὁ ἀγαθός — φιλάργυρος οὐδεὶς ἀγαθός, οὔτε βασιλεὺς, οὔτε ἐλεύθερος*, huc anthesis ex Cyro: *βασιλικὸν πράττειν μέν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν*, vel ex Sathone: (*ὦ Πλάτων*) *ἄνθρωπον ὁρῶ, ἀνθρωπότητα δὲ οὐχ ὁρῶ*, huc agnominatio: *κρεῖττον εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν*. Sed haec hactenus, quid plura commemorem? [4])

Quamobrem omnibus modis cavendum nobisne putemus, Antisthenem Gorgianam dicendi facultatem repudiavisse: immo vero, arripuit genus illud eloquentiae, ubi occasio erat. Illud autem perpetuo animis nostris infixum habeamus: esse magnum inter eos discrimen, etiamsi uterque rhetoricae studiosissimus videatur. Nam Gorgiae *ἰσόκωλα, πάρισα, ἀντιθέσεις, ὁμοιοτέλευτα* non tantum ad ornandam potissimum orationem prosunt, sad continetur iis artificiis ut ita dicam tota ars Gorgiana; contra Antistheni *κόσμος* ille nihil esse videtur nisi subsidium, quo vividiorem colorem,

---

[1]) *Ἀντισθένης* (qui non erat *ἰθαγενής*) *τοὺς Ἀθηναίους, ἐπὶ τῷ γηγενεῖς εἶναι σεμνυνομένους ἐκφαυλίζων, ἔλεγε μηδὲν εἶναι κοχλιῶν καὶ ἀτελλέβων εὐγενεστέρους.* (Diog. Laert. VI, 1).

[2]) Stob. T. IV, 19: *Ἀντισθένης, ἔλεγεν: ὥσπερ τὰς ἑταίρας τἀγαθὰ πάντα εὔχεσθαι τοῖς ἐρασταῖς πορεῖναι πλὴν νοῦ καὶ φρονήσεως, οὕτω καὶ τοὺς κόλακας, οἷς σύνεισι.* Dio Chrys. VIII, p. 275 (Reiske): Diogenes *αὐτὸν τὸν Ἀντισθένη παραβάλλων πρὸς τοὺς λόγους ἐνίοτε ἤλεγχε ὡς πολὺ μαλακώτερον καὶ ἔφη αὐτὸν εἶναι σάλπιγγα, λοιδορῶν.* Contra Antisthenes — *ἔλεγεν.... τοῖς σφηξὶν αὐτὸν* (Diog.) *ὅμοιον εἶναι . καὶ γὰρ τῶν σφηκῶν εἶναι τὸν μὲν ψόφον τῶν πτερῶν μικρὸν, τὸ δὲ κέντρον δριμύτατον.* Diogenes imprimis comparationes adhibet, ex vilissimis saepe expetitas; praesertim comparare homines cum bestiis amat.

[3]) (in translatione deest comparandi particula), sec. Ant. *ἑορτὴ γαστριμαργίας ἀφορμή.* (Maxim. p. 49.)

ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή . τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησις (Diog. Laert. VI, 12.) Sic Monimus *τὸν πλοῦτον εἶπε τύχης ἔμετον εἶναι* (Stob. Flor. 93, 36) cet.

[4]) cf. Weber p. 209.

vim acriorem addat enuntiatis suis; minus enim efficacem ea habitura vim putabat, si in proferendis iis vulgato atque cottidiano sermone uteretur. Γοργιείοις σχήμασι quasi obsignantur Cynici sententiae et adhortationes.

DE PRODICO ET ANTISTHENE.

Licet inter Antisthenis praeceptores haud ultimum locum tenuerit Prodicus, de philosopho Ceo perpaucis mihi agendum est, quippe cuius opera prorsus perierint. Certa itaque indicia invenire nobis non licebit, quibus demonstremus, quatenus quibusve in rebus Prodici rationem dicendi Antisthenes secutus sit. Verumenimvero inter eos fuisse consuetudinem Xenophon narrat. Jocose enim Socrates (Conv. IV. 62) Antisthenem lenocinii, προαγωγείας, incusat, quod Prodicum et Hippiam Calliae commendaverit. Nomen Prodici, quo nemo σοφώτερος Socratis magister, omnium in ore et fama erat. Quam gloriam maxime adeptus est e grammaticis studiis. Orationem eleganter quidem limavit, verba cum cura disposuit, sed Gorgianam [2]) sermonis abundantiam moderate adhibuisse videtur: Imprimis in definendis verborum potestatibus accurateque synonymis [1]) distinguendis elaboravit. sic verbi causa ἡδονὴν vocem plures in notiones dividit: χαρὰν, τέρψιν, εὐφροσύνην cet. (Arist. Top. II 6), de voce δεινὸς disserit (Prot. 205 H. p. 212 sq.) — Exempla Prodiceae καλλιλογίας apud Platonem pullulant, (Prot. 205 E., 212 G. Charm. 239 G.) sed attendendum est Prodicum a Platone saepius ludibrio haberi, [3]) quum sophista ei videretur interdum in ridiculam subtilitatem incidisse; nectamen licet inde concludere Prodici grammatica potissimum studia

---

[1]) περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος cf. Plat. Euthyd., p. 277 E., 187 E. Crat. p. 384 B. Itaque distinguit inter κοινούς et ἴσους, ἀμφισβητεῖν et ἐρίζειν, εὐδοκιμεῖν et ἐπαινεῖσθαι.

[2]) Blass., p. 31 nt. 2 iure contendit aliquam certe imitationem Gorgiae deprehendi in Xen. Mem. II, 1, 33, 34.

[3]) Ita perstrinxit ineptum eius studium Plato Protag. 358 A. D. — Menon p. 75 — Charm. p. 163.

a Platone nunquam non, immo contra multis locis Plato summa veneratio Ceo tribuitur, in qua procul dubio Socratem est secutus. Sic Hipp. mai. p. 282 C. Prodicum amicum, et Protag. p. 341 A. magistrum appellat Socrates, quam laudem Prodicus τῆς ἐτυμολογίας [1]) laudem debuit. Quamquam oratoriae eius facultates mediocres fuisse videntur, tamen eloquentiae haud expers erat secundum Quintilianum, [2]) qui tradit primos Protagoram Gorgiam Prodicum Thrasymachum locos communes tractasse i. e. de vitiis et virtutibus disputationes diversas. Igitur ut ad Antisthenem redeam, Cynicus a Prodico studia etymologica valde aestimare et quasi summaea in eruditione praedicare didicit: eo enim auctore Antisthenes etymologia tanquam τῆς παιδεύσεως ἀρχήν [3]) declarat, et τῶν ὄντων naturam essentiamque ex ὀνομάτων notionibus repetiit; scripsit quoque περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων.

In moralibus (s. ethicis) Antisthenes proxime secutus est Prodicum. Ut ille, [4]) Cynicus quoque docuit τὴν ἀρετὴν εἶναι διδακτήν: τῇ ἀρετῇ Prodicus multum tribuit. Nam inter παραινέσεις, [5]) quarum rationem, locupletioribus adhortationibus ad principia obsequenda aptam, Ceus adamavit, allegoria „de Hercule in bivio," qua sententiae de virtute exponuntur, adeo valuit, ut tum omnium sermonibus celebraretur et postea egregium imitationis exemplum a multis auctoribus haberetur; [6]) inter quos Antisthenem etiam fuisse probabile videtur. Laudator et quasi celebrator

---

[1]) Blass. I, p. 30: ἔτυμος λόγος ist ja nichts als wahre Bedeutung.

[2]) Quint. III, 1, 10. 12, (Burm. ed.) cf. Cic. Brut. 12: Scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, quem singularum rerum laudes et vituperationes conscripsisse quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere.

[3]) cf. Arr. Epict. diss. I, 17. Joel, p. 351. Duemmler Ant., p. 15, 39.

[4]) Compara ps- Plat. Eryx. 19 cum Diog. Laert. VI, 10, 105.

[5]) Joel, p. 367: dass Prodikos die Methode der ausgedehnten paraenetischen Vorträge liebte.

[6]) cf. Geel ll., p. 133.

virtutis ipse quoque ut ad vitam probam excitaret homines, eodem Herculis exemplo usus est. Et uti Prodici Hercules inter illius scripta summum locum habuit, propter commendationem *τῆς ἀρετῆς*, sic Antisthenes in Hercule suo, ut e fragmentis [1]) conjici licet, primaria doctrinae Cynicae principia complexus esse videtur [2]).

Sicut cum Gorgia Protagora Prodicus, ita Cynicus contra aequalium religiones dubitationes affert; quatenus hominem sapientem popularibus de deis opinionibus obstrictum [3]) esse oporteat, ab utroque ambigitur. Summam quoque consensionem agnoscimus in tristi apud utrumque vitae contemplatione. Queritur enim Prodicus de vitae miseriis [4]); putat vitae nostrae miserrimam esse conditionem et omnem spem nostram in beata aeternitate esse positam [5]) — pariter Antisthenes nos lugubri esse statu existumat, [6]) omnia, quae vita afferre potest, despicit, beatissimum autumat homini mori dum in ipsa felicitate versetur. [7])

---

[1]) Diog. Laert. II, 61: *ἰσχὺς* commendatur. Id. VI, 2: *ὁ πόνος ἀγαθόν*. Id. VI, 105: *ἡ ἀρετὴ διδακτή* — Plut. de vit. pud. 12: *μηδενὶ χάριν ἔχειν ἐπαινοῦντι*. Id. 104: *τέλος εἶναι τὸ κατ'ἀρετὴν ζῆν*. cet. cf. Welcker opusc. II, p. 483, 510. Chappuis ll., p. 30 sq.

[2]) Memoranda hic sunt, quae habet Weber in dissertatione de Antisthenis Hercule p. 251, ubi dicit ad „Herculem" etiam pertinere Diogenis epistulam XXX^{am} (ed. Hercher 1873), quam Diogenes scripsit patri. Renuntiat se Antisthenis (*τοῦ Σωκράτους ἑταίρου*) scholam adiisse; hunc tum de viis, quibus ad virtutem perveniretur disputasse et duas esse exposuisse, easque comparasse cum duabus viis, quae ad acropolin ducerent, quarum altera difficilis adscensu, altera facilis erat. Epistulographus sec. Weber. aut ipse Prodici allegoriam imitatus est aut Antisthenis ipsius imitationem ad Prodici exemplum factam denuo rettulit.

[3]) Observari hic liceat Antisthenem nequaquam fuisse *ἄθεον* cf. Diog. Laert. VI, 5: *τοὺς βουλομένους ἀθανάτους εἶναι ἔφη δεῖν εὐσεβῶς καὶ δικαίως ζῆν*. Acute, ut opinor, Hirzel Rhen. Mus. 1892, p. 365 nt. 1: Ueberhaupt fragt es sich ob Antisthenes zu dieser (sc. Volksreligion) nicht ein ähnliches Verhältniss hatte wie Socrates.

[4]) ps.-Plat. Axioch. c. IV.

[5]) De hac Prodici indicio cf. Geel ll., p. 136.

[6]) Cynicos hac hominum vita non gaudere nemo mirabitur.

[7]) Diog. Laert. V, 5: *ἐρωτηθεὶς τί μακαριώτερον ἐν ἀνθρώποις ἔφη: εὐτυχοῦντα ἀποθανεῖν*.

Ex hacce opinionum concordia fortasse conjectari licebit Antisthenis libros *περὶ τοῦ ἀποθανεῖν, περὶ ζωῆς καὶ θανάτου, περὶ τῶν ἐν ᾅδου* materiem eam tractasse ratione a Prodici placitis non nimis abhorrenti. [1])

DE HIPPIA ET ANTISTHENE.

Paucis quoque demonstremus, quosnam fructus Antisthenes ex Hippiae consuetudine perceperit. Xenophon in Symposio ll. testatur Antisthenem hunc quoque sophistam commendasse Calliae. Nomen eius celeberrimum, *πολυμάθεια* omnibus nota erat; hoc autem praesertim aequales admirabantur et laudabant, quam apte de quavis re nihil meditatus extempore concionari posset. Verum, quamvis fuerit facundus, non tamen ideo artificiosa sermonis illa forma, ornamentisque exquisitis, quae adamavit Gorgias, Hippiam delectatum esse usquam apparet. Neque studiis grammaticis [2]) tantam, quantam Gorgias Protagorasve operam navavit. Stilus eius quamquam, secundum Philostratum (Vit. Soph. I. 11.), poeticis haud nimis ornatus erat, abundasse tamen videtur metaphoris et comparationibus. [3])

Quamquam in omnibus fere disciplinis, mathematicis, astronomicis, grammaticis, archaeologicis magis excelluisse videtur quam in philosophicis, tamen in ethicis praecipue summam famam est adeptus. Legum enim auctoritati primus palam oblocutus est hac enuntiatione: [4]) *ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ φύσιν βιάζεται,*

---

[1]) cf. Welcker. Opusc. II, p. 510, 486.

[2]) Peritissimum in hisce fuisse eum apparet ex Hipp. mai: p. 285 C.: — *περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν.*

[3]) Blass. I, p. 33. Exemplum eius stili Plato reliquit in Protagora, p. 337 C. — 338 A.: quo hae metaphorae inveniuntur: *νόμος τύραννος* hominum; Athenae *πρυτανεῖον τῆς σοφίας*, — *ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι τὰς ἡνίας τοῖς λόγοις* (habenas orationis), — *φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων* cet. cf. Norden ll., 72 sq.

[4]) Plat. Protag., p. 337 D.

censet itaque contra naturam saepe pugnare legum instituta et sic separari iniuste quae natura similia sint (*τὸ γὰρ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φύσει συγγενές*); praeterea iudicat parum quoque auctoritatis et stabilitatis in legibus esse, quod qui eas fecerint, saepius sententias mutent (Mem. IV. 4. 14: *πολλάκις αὐτοὶ οἱ θέμενοι ἀποδοκιμάσαντες μετατίθενται*). [1]) Sententias eiusmodi quodammodo viam Antistheni, quam ingrederetur, demonstrasse vix cuiquam dubium videbitur. Nam Antisthenes, quem vinculorum legum et civitatis poenitebat, qua erat *αὐταρκείᾳ*, ex sola virtute leges hauriendas iudicat [2]); itaque amorem libertatis aperte praedicat [3]), a politicis rebus, ut distemus suadet [4]), carnifices tyrannis anteponit. [5])

Praeceptum illud: *τὰ μὲν φύσει εἶναι, τὰ δὲ νόμῳ* a sophistis propositum latissime fere omnium in Cynica philosophia patuit. [6]) Quod, quale sit, uberius paulo ac fusius, si placet, videamus, quum Hippias praecipue huius enuntiationis auctor [7]) Cynicis fuisse videatur.

---

[1]) Arist. Pol. III, 8 *ὅθεν δῆλον ὅτι καὶ τὴν νομοθεσίαν ἀναγκαῖον εἶναι περὶ τοὺς ἴσους καὶ τῷ γένει καὶ τῇ δυνάμει. Κατὰ δὲ τῶν τοιούτων οὐκ ἐστι νόμος, αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος.*

[2]) *— οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύεσθαι ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς.* Diog. Laert. VI, 11.

[3]) id. 12: *τῷ σόφῳ ξένον οὐδὲν οὐδ' ἄπορον.*

[4]) Stob. XLV, 28.

[5]) Stob. XLIX, 47.

[6]) Copiose de hoc praecepto agit Weber, p. 98—103.

[7]) cf. Duemmler Akademika Anh. III, p. 256: Hippias' Lehre ist denn auch weit folgereicher geworden, als man aus Platon's verächtlicher Behandlung der Sophisten zu schliessen, verleitet werden könnte. Man kann mit eben solchem guten Recht, wie in Prodikos, in Hippias einen Vorgänger des Sokrates erblicken; genauer jedoch würde man zu sagen haben, dass Prodikos wie Hippias neben Sokrates auf den Gründer der Kynischen Schule von ganz *wesentlich bestimmter Einflusz* gewesen sind und dasz dadurch noch wichtige Elemente ihrer Lehre in der Philosophie der Stoa eine nicht untergeordnete Rolle spielen. Die Kynisch-Stoische Forderung des *τῇ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν* knüpft *unmittelbar an Hippias* an, wenn sie nicht gar schon von ihm aufgestellt war.

Si enim quaerimus, cur potissimum oppositionem inter *τὰ φύσει* et *τὰ νόμῳ ἀγαθὰ* receperit Antisthenes, causa latere non videtur. Nam ut uno verbo dicam, medicinam pravae et corruptae civitati afferre conatus est Cynicorum pater, meliorem vivendi rationem hominibus futuris requirere et restituere studet. Aequalium autem mores corrigere, ipsos adire cives omittit, nam societas ei prorsus non curae est et semet ipsum solum amat, nec tamen umquam intrudere se multitudini, tanquam vitae bene institutae exemplum, desinit.

Huic autem vitae, quae demum vere vita dici potest, non novit praeceptum magis praeclarum quam quod olim Socrates edixerat: nobis scilicet minimis et tenuissimis tantum opus esse. [1]) Quod si ita est, quid iis magis in promptu erat, quidve manifestius, quam ut mentis corporisque cupiditates coercerent, cogerentque, ut naturae congruerent? Nonne ipsa natura quotidie admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus? Nonne respuit, quidquid splendoris artes cultus luxusve afferunt? Quin bestiae hominem temporum lapsu corruptum, meliora docere ac revocare ad statum feliciorem poterunt. Repetendum itaque Cynico est a natura, quicquid sensim paulatimque tempora ab ea abalienaverunt, redeundum est ad pristinam conditionem naturae congruentem. Omnibus notum est, quam constanter hoc semper tenuerint Cynici, *τὸ κατὰ φύσιν ζῆν* praecipuum, immo unicum, esse fundamentum sapientiae; quam sedulo id scriptis quoque illustraverint, multis argumentis docuit Weber ll. Inde virtus secundum Antisthenem ad vitam beatam sufficit, eam solam curat Diogenes ille, de quo haec optime docet Diogenes Laertiis VI. 71: *τοιαῦτα διελέγετο καὶ ποιῶν ἐφαίνετο,*

---

[1]) Xen. Memor. I, 6, 10: *ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δεῖσθαι θεῖον εἶναι....* Diog. Laert. VI, 105: *ἀρέσκει δ'αὐτοῖς* (Cynicis) *καὶ λιτῶς βιοῦν, αὐταρκέσι χρωμένοις σιτίοις καὶ τρίβωσι μόνοις, πλούτου καὶ δόξης καὶ εὐγενείας καταφρονοῦσιν.* Ibid. Diogenes *ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι.* cf. Cic. Orat. III, 7. Xen. Symp. IV, 34—44.

ὄντως νόμισμα παραχαράττων, μηδὲν οὕτω τοῖς κατὰ νόμον ὡς τοῖς κατὰ φύσιν διδούς. Igitur quum naturam sequatur Cynicus τοὺς νόμους contemnit, quos non solum leges civitatis intelligit, sed etiam mores et consuetudines, νομίσματα; quae omnia ut adulteret homo, suadet, ut tandem quae vera sunt consequatur: παραχάραξον τὸ νόμισμα. Sed haec hactenus. Id tantum fusiore hac disputatione consequi volui, ut ostenderem quantum valuerit Hippiae praeceptum de φύσει et νόμῳ apud Cynicos, si quidem Duemmlerus aliique viri docti iure hocce praeceptum Hippiae potissimum tribuunt. Quo praecepto, quid demum significaverit Antisthenes, ut planius aperiam, ipsam Weberi sententiam referre liceat:

„Nec vero solum ad ipsius Cynicae vitae rationes, sed etiam ad praescripta physica, ethica, politica, ad verborum interpretationem utpote φύσει natorum et rerum explicationem, quibus quodque nomen impositum est, [1]) ad Homeri interpretationem notiones illae maximum valent." (p. 98).

Sed haec de sophistarum ratione dicta sint. Vidimus sophistarum artes et disciplinas vel maxime valuisse ad Antisthenis eruditionem conformandam et perficiendam, vidimus, quid singulis sophistarum in eloquentiam in scientias in philosophiam meritis debuerit. Ad ingenium eius excolendum et expoliendum nimium quantum valebant Protagoras et Gorgias, multum Prodicus et Hippias. Et verum esse, quod diximus, auctoritatem scilicet sophistarum ubique agnosci, omnium librorum fragmenta satis declarant, grammatica et rhetorica studia praecipue denotant. Ex duobus et sexaginta enim operibus Antisthenicis, quorum tituli nobis innotuerunt plus quam triginta ea studia spectant.

Reliquum est ut iam illud quaeramus, quod initio praeposuimus, num quid disputatione nostra profecerimus ad iudicium ferendum de declamationibus Aiacis et Ulixis, quae inter fragmenta Antisthenica longe maximum locum

---

[1]) cf. Duemmler. Exercit. grammat. spec. p. 54 sq.

obtinent. Si certa rhetoricae artis indicia ad denotandum auctorem oratiuncularum earum sufficerent multum proficeremus; nam Antisthenem huius artis fuisse peritissimum supra ostendimus. Sed etiamsi tam perspicuum sit inesse rhetoricam ostentationem, ut quivis oculis auribusve eam percipere possit, aliud quid obesse quin rhetorica illa opuscula Antistheni tribuamus, putaverunt nonnulli: orationes scilicet eiusmodi postea tandem fingi coeptas esse opinantur. Objecit hoc Muellerus primus. Verum enimvero, inquit, fuerit Antisthenes etiam, postquam Socratis scholae se adiunxit, sedulus rhetorum sectator, tamen Aiacem atque Ulixem immerito ei tribueris, quandoquidem secundum Quintilianum scripta huius generis i. e. orationes ad fori imitationem factae, circa Demetrii Phalerei aetatem fingi coeptae sunt. Refutat satis, uti opinor, Blassius ll. hoc argumentum obiectans, non nostras declamationes solum, sed Ὀρέστου ἀπολογίαν (rhetoricorum opus 4) etiam indicare Antisthenem tale scribendi genus adhibuisse.

Ex Aristotelis silentio, qui in Arte Rhetorica opuscula huius generis omisisse perhibetur,[1]) non licet concludere scripta eiusmodi esse spuria et posteriori aetati adsignanda. Cur, inquit vir cl., veteres sophistae ab orationibus eiusmodi esse abstinuerint, quum iidem in laudationibus aut vituperationibus aut defensionibus — qualis fuit Polycratis Busiris — fictis libenter ex mythis (fabulis) argumenta desumpserint?

Nonne similiter tragici faciunt, qui saepe eadem ratione duas personas litigantes de re quadam inducere solent?

---

[1]) Quod non ab omni parte verum existimo — Aristoteles enim Rhet. III. 14 p. 1414 b. 38 mentionem facit orationis in qua Paris Priami filius ipse verba fecisse videtur (ad quam orationem fortasse respicit quoque Rhet. II. 23); hanc orationem eiusdem rationis fuisse ac Palamedem Gorgiae, Antisthenis Aiacem et Ulixem, Alcidamantis Ulixem, quibus heroes ipsi declamantes inducuntur, putavit Bruno Keil in Herme 19 p. 649 — huius orationis auctorem Sauppe (O. A. II 223) Polycratem habuit, Blass. Att. Bereds. II p. 342 Theodectem Phaselitem, Keil (Anal. Isocr. p. 132) Gorgiam Leontinum — quos omnes aliquanto ante Demetrium Phalereum fuisse scimus.

Cui non in mentem venit altercatio Hecubae et Helenae ab Euripide ficta, vel ipsius Antisthenis Helenae et Penelopes contentio?

At taedio se affici Muellerus confessus erat, ineptam harum declamationum rhetoricam devorantem; Blassius rogat suo opinor iure negans ex taedio argumenta ferri posse, num diversa fuisse videantur opuscula, qualia Polycrates Isocratis Platonisque aequalis fecerit. [1]) Muellerus declamationes nostras rhetoricam exercitationem magis redolere quam gravitatem Antisthenis contendit. Cui recte ut videtur, Blassius haec fere opponit: quid mirum rhetoricam redolere opuscula quae a rhetore composita sint. Sed aliquatenus tantum vere rhetorica dici possunt, nam multa desunt. Desideratur enim prooemium et epilogus, absunt μάρτυρες, argumentationis vere rhetoricae nec vola nec vestigium. Ceterum hoc ipsum cum Antisthenis ingenio optime convenit: oderat ille veros rhetores, meros causidicos.

Quis non audivit quas inimicitias, cum Isocrate exercuerit, cuinam est incognitum odium adversus Lysiam propter quaestum in conscribendis orationibus partum? (cf. 5: περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης.) Quod autem Muellerus suspicatur declamationes rhetori alicui adsignandas esse vel alii Antistheni adjudicandas, id Blassius prorsus abjicit. Et merito, nam qui existimat id fieri potuisse, absurdum aliquid profert. Quo enim modo rhetor aliquis sub Antisthenis potissimum nomine orationes finxerit, si eorum argumentum a philosopho Antistheni tam longe distet ut contendit Muellerus ipse?

Habes Blassii hac de re indicium; satis luculenter, uti opinor, demonstravit rationem, qua hic Aiaci et Ulixi heroibus orationes fictae subiciantur non prohibere, quominus declamationes Antistheni Cynico attribuamus.

Iam attigimus magnam inter poetas et sophistas philosophosque convenientiam. Quum enim poetae plerumque μύθους s. fabulas ita adhibent ut mores affectusve perso-

---

[1]) In praef. ad Antiphontis ed. I. p. XVI.

narum primo loco ponantur, philosophi eas usurpant eodem fere consilio scil. ut principia, moralia quae dicuntur, notis exemplis commendentur. [1]) Ex Homero potissimum ab utrisque argumenta sumi solere in propatulo est, dum hoc sibi vindicant utrique, ut liceat audacter quae sunt tradita, renovare et si opus est aut mutare aut refingere. [2]) Nonne igitur Antisthenes, moralium praecipue studiosus, sophistas, magistros suos, secutus est in Homero venerando? Uti Gorgias Palamedem, Helenam defendit, Alcidamas Ulixem, sic Antisthenes contra generosum Aiacem callidum Ulixem defendit. Quid obstat, quominus hoc voluisse suspicemur Antisthenem? Ὅπλων κρίσις, armorum certamen in ea forma ab Antisthene adhiberi videtur, quam ex re ipsa consentaneum est commendari. Nimirum opponuntur duo ex principibus Homericis, Aiax atque Ulixes, arma insignia et exoptata Achillis [3]) sibi vindicant. Uterque indole moribusque illustris, aptissima Cynico uterque est persona. Etenim alter viribus corporis superbus, rebus gestis elatus, ingenua integritate confisus, alter eloquentia splendidus, calliditate arrogans, πολυτροπίᾳ gloriatus, qua omnes et omnia se vincere autumat. Ἡ ἰσχὺς opponitur τῇ φρονήσει — prudentia melior et validior adiutrix virtutis videtur, quam rudes corporis vires. Ubi tandem ἰσχύος notio, quam adamasse [4]) constat Antisthenem, clarius informatur quam per Aiacis personam? An vero dubium est, num alius quidam ex principibus Homeri pluribus sanae eloquentiae operibus floruerit quam solus Ulixes? Quid denique commemorem, qua ratione Antisthenes ἰσχύος notionem et ἀνδρείας comparaverit atque utriusque vim adversus τὴν φρόνησιν collocaverit? [5]) Satis id denotat Hercules.

---

[1]) cf. Zeller II. p. 330. Ibid. nt. 4.

[2]) Platonem eandem rationem esse secutum novimus cf. Zeller II. p. 580. 2.

[3]) Antistheni quoque carus.

[4]) cf. Wincklm. fr. IV p. 35. — VI p. 47 — XXV p. 61.

[5]) cf. Joel II p. 363.

Declamationes Aiax et Ulixes, quae rhetoricae artis specimen dant, quaeque multa Antisthenicae doctrinae vestigia ostendunt, [1]) eo imprimis memorabiles sunt, quod iterum indicant, quantam operam Cynicus Homero navaverit. Homero enim vel maxime omnium scriptorum Atticorum favisse Antisthenem summisque viribus in Iliadis Odysseaeque carminum interpretationem et explicationem incubuisse, sedecim opera Homerica ab eo conscripta testantur.

Igitur, etiamsi disquisitio de authentia declamationum paulisper intermittatur, operae pretium videtur nunc primum de Homericis Antisthenis studiis in universum, dein de nonnullis operibus quae Homerum spectant, quaedam addere. Quod agendum esse mihi in praefatione proposui, quia dissertatio ea, praeterquam quod re ipsa magni momenti est, ubi de literarum praecipue studiis agimus, etiam summopere accuratae de declamationibus inquisitioni prodest.

---

[1]) De rhetoricis et philosophicis, quae in declamationibus inveniuntur postea accurate nobis agendum est; causas cur hanc disquisitionem distulerim, iam indicavi.

CAPUT II.

DE ANTISTHENIS STUDIIS HOMERICIS.

Quaenam Antisthenes sophistis debuerit priore capite vidimus; ad studia eius literarum praecipue attendimus; quosnam fructus ex etymologicis grammaticisque sophistarum operibus perceperit, satis perspicue apparuit. Praeterea hic illic observavimus, quanta sit convenientia inter sophistas et Antisthenem in Homero aestimando, ex quo fonte saepenumero argumenta declamationum et orationum hauserunt. Ita quoque Antisthenes multa de Homericis scripsit, saepe summum poetam ad doctrinam suam adhibet, pariter ad *τὴν παιδείαν* Homerum utilissimum habet. Nova igitur haec convenientia inter sophistas et discipulum nos ad singularem de Antisthenis studiis Homericis disquisitionem impulit.

Primum autem paucis de poeseos aestimatione in universum disputare liceat! Poesis enim quae nostris temporibus doctorum tantum vel certe cultiorum hominum lectione aut auditu celebratur, prorsus alia condicione apud Graecos antiquos erat. Auctoritas scilicet Homeri adeo valuit, ut non minus incultos quam eruditos teneret: erat in omnium ore et fama. Carminum usus in vitae consuetudine multiplex erat, fidelique memoria poetarum versus vulgo tenebant. Praestantia poeseos non oblectationis vel dulcedinis causa solum laudabatur, sed utilitatem etiam inesse sentiebant, poeta omnis scientiae

artiumque compos habebatur, poesis sapientiae templum, vitae speculum erat [1]). Continebat sacras de deis heroibusque traditiones, abundabat virtutum vitiorumque exemplis, offerebat mortalium vitae vicissitudinum species. Avidis auribus rhapsodos audiebant [2]), qui carmina illa recitare et explicare solebant, delectabatur et movebatur illis populus, qui ad philosophiam quoque propensus omnia humanitatis initia ex mythis fabulisque repetebat.

Quid miremur igitur philosophos, ut tragicos tragoediarum, placitorum suorum origines, si possent, ex Homero saepe duxisse, quem putarent primum multa sapientium *ἀποφθέγματα* pronuntiasse? [3])

Morales s. ethici qui dicuntur, philosophi praecipue apud Homerum semina gravissimae suae doctrinae inveniebant. Quid, quod vitam et indolem deorum heroumque, mores et casus mortalium adeo praeclare descripsit, ut in divinis pariter ac in humanis Homerum ducem et magistrum habuerint? [4]) Disceptantibus de animi affectibus, de fortitudine, de prudentia, de temperantia, de justitia Homerus ante omnes auctor est; quod quidem cum multi, tum luculentissime comprobaverunt et sophistae commentationibus et orationibus, et dein Socratici, hominis considerantes perfectionem, quidque bonum verumque esset colloquiis et disputationibus discernentes; utrique autem poesin illam pari veneratione prosecuti sunt. Sed ne longus sim

---

[1]) cf. Bernhardy, Gesch. Gr. Litt. II. 1. p. 62 et p. 64 sq. Philostr. Vit. Soph. II. 27. 6 Homerum dicit. *φωνὴν σοφιστῶν* — Plat. Rep. p. 606 E. Dio Chrys. or. XVIII, p. 478: *Ὅμηρος δὲ καὶ πρῶτος καὶ μέσος καὶ ὕστατος παντὶ παιδὶ καὶ ἀνδρὶ καὶ γέροντι.*

[2]) cf. Platonem in Ionis initio, p. 535 E. sq. -- id. Rep. X. 605.

[3]) cf. Bernhardy ll.: Homer. Philosoph und systematischer Denker, — Homer Lehrstoff für die Schule u. d. Jugend und philosophisches Praktikum für den Denker.

[4]) Zeller I. p. 90, de Homeri carminibus: — die hohe sittliche Bedeutung beruht aber freilich weit weniger auf den Sittensprüchen und moralischen Betrachtungen als auf den Charakteren und Schicksalen, die sie schildern.

in re tot exemplis contestata et certa, ad Antisthenem redeamus necesse est, quem summum locum inter ethicos obtinuisse satis constat.

Cynicus, sophistarum diligentissimus discipulus, dein Socratis fidelissimus et carissimus sectator, Homericis summam operam navavit. Suo Marte autem Cynicus Homerum interpretatus aliam explicandi ingreditur viam qua differt a sophistis; ii enim pusillis saepe disputationibus de quibusdam poetae dictionibus disceptando aut ornando immutandoque fabulas gloriam sibi petiverant; nec placebant nostro ii, qui temere omnis generis explicationes amplectebantur, modo in res physicas, modo in ethicas, modo in historias mythologiam convertentes.

Antisthenes Homero utitur certo proprioque consilio [1]): e doctrinae suae ratione interpretatur poetam, laudat poetae verba ad confirmanda praecepta et commendanda, sed si opus est, ipsis verbis sententiisque tormenta admovet [2]) ratione critica quae dicitur, usus.

Ad intelligendum, quamnam interpretationis rationem secutus sit, nullus mihi aptior locus videtur quam Xenophontis Convivii caput III, 5. [3])

Niceratus Antistheni interroganti, quanam scientia polleat, respondet se patris curis obsecutum, ut *ἀνὴρ ἀγαθὸς* fieret, totam Iliadem Odysseamque edidicisse. Contumeliose Antisthenes observat omnes rhapsodos carmina illa nosse. [4]) Concedit hoc Niceratus, qui oblivionem sibi exprobratam melius intelligere et excusare quam acerbitatem Cynici sentire videtur. Quo acerbius Antisthenes,

---

[1]) Mueller ll. p. 51.

[2]) Duemmler Ant. p. 23.

[3]) Joel ll. p. 386: Die in vielen Schriften niedergelegten Homerstudiën des Antisthenes riefen natürlich Debatten hervor, von der z. B. der Jon und Rep. X grössere literarische Niederschläge und die Xenophontischen Auesserungen hier und Symp. III. 5 f., IV. 6 f., wenigstens Spuren zeigen.

[4]) Conv. III. 6: *Ἐκεῖνο δ' ἔφη ὁ Ἀντισθένης, λέληθέ σε ὅτι καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ πάντες ἐπίστανται ταῦτα τὰ ἔπη; Καὶ πως ἂν, ἔφη, λελήθοι, ἀκροώμενόν γε αὐτῶν ὀλίγου ἀν' ἑκάστην ἡμέραν;*

mirificam istorum memoriam nihili habens, rogat: nostine tu, qui rhapsodos tam bene cognosse videris, nationem rhapsodis stultiorem? [1]) Mordaci hacce quaestione Niceratus prorsus perturbatur. Nam etsi semet ipsum, illorum institutione eruditum, stolidum haberi nolit, Antistheni autem non assentiri non possit, quum de rhapsodis eandem sententiam habet Niceratus, quam tunc omnes fere homines cultiores habebant resistit tamen paulisper, [2]) attamen sentit Antisthenem iure hanc quaestionem proposuisse: Itaque in angustias adductus non potest, quin assentiatur Antistheni [3]). Socrates quoque Antisthenis iudicio suffragatur, sed causam addit, fortasse haud sine ironia quadam observans hic non quaeri de verborum sensu vulgato sed de *ὑπονοίαις* occulta versuum significatione; [4]) verbis suis: *δῆλον γάρ ... ἐπίστανται* coram Antisthene, palam declarat Niceratum, etiamsi rhapsodos praeclaros quidem Homericorum praeceptores habuerit, tamen ab illis rectam interpretationem non didicisse. Luce clarius est hanc de rhapsodis sententiam Antisthenis causa protulisse Socratem. Nam quamquam in Ione apertis verbis de rhapsodis Socrates Platonis testatur: — *καὶ τὴν τούτου* (Homeri) *διάνοιαν ἐκμανθάνειν, μὴ μόνον τὰ ἔπη, ζηλωτόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἂν γένοιτό ποτε ῥαψῳδὸς, εἰ μὴ συνείη τὰ λεγόμενα ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ*, hic praesente Antisthene, celebratae eorum arti ita obtrectat, ut quid sibi vellent Homerica carmina vel ipsos rhapsodos latuisse declaret. Docet igitur nos Xenophon [5]) Antisthenem

---

[1]) ll. *οἶσθά τι οὖν ἔθνος, ἔφη, ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν;* — cf. Memor. IV, 2 10: *τοὺς γὰρ ῥαψῳδοὺς οἶδα μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας.*

[2]) Passim in Platonis et Xenophontis scriptis rhapsodorum contemtus patefit — cf. Ion. Euthyd. Memor. ll. Duemml. Ant., p. 34, 35 cet. Joel p. 396.

[3]) *οὐ μὰ τὸν Δι' ἔφη ὁ Νικήρατος, οὔκουν ἔμοιγε δοκεῖ.* —

[4]) *Δῆλον γάρ, ἔφη ὁ Σωκράτης, ὅτι τὰς ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται.*

[5]) Urban: Ueber d. Erwähnungen der Philos. d. Ant. i/d. Plat. Schriften, p. 28: Eine solche Aeusserung wird Xenophon bei Antisthenes selbst gelesen haben; auf denselben Punkt scheint sich Plato bei Ion p. 530 B. C und in der Republik p. 378 D zu beziehen.

numero eorum esse assignandum, qui vulgarem Homericorum interpretationem aspernati, sensus occultiores et latentes e poeta extrahi debere putent. Prae ceteris autem Antisthenes propriam interpretandi rationem amplexus est, cuius pauca supersunt documenta.

Antisthenes summi poetae fabulis homines docere voluit et instituere ad meliorem vivendi rationem: poetam divina fere et perfectiore sapientia esse praeditum putat. [1]) Saepius autem fabulae non accipi possunt, prout feruntur, tum iis subesse sibi aliisque persuadere studet ὑπονοίας (sive νοῦς) i. e sensus absconditos et philosophicos. [2]) Igitur philosophus, sive ethicus, sive physicus qui poetas adhibet in placitis suis exponendis atque ea, quae a poetis tradita sunt accommodare conatur ad suam ipsius doctrinam, allogorice explicare debet poetam, ut latentes sensus proferat, ut philosophica ratione indicet, quid poeta sententiis variis voluerit; propter exempla imprimis Cynicus, moralium studiosus, Homerum adamat.

Quo tandem modo ille exempla aut nobiliora aut notiora invenire potuit, quibus ei ex ipsis doctrinae principiis opus est? Qui nos philosophando tantum de bono nil lucrari putat, qui virtutem summum vitae finem existimans, [3]) non quaerit, quid bonum sit, sed facit quod bonum est, qui dein ipsi virtuti nec verbis multis nec disciplinis opus esse autumat, quum qui habeat, omnes et omnia vincere

---

[1]) cf. Weber. ll. cui multa debeo in hac interpretandi arte investiganda, p. 224 sq.

[2]) Supervacaneum fere videtur observare iam ante Antisthenem initia allegoricae interpretationis iacta esse, e multis Theagenem, Metrodorum, Stesimbrotum, Glauconem, Anaximandrum cet. profero. Winckelm. p. 23. Mueller p. 50. cf. Teichm. Liter. Fehde II p. 21 qui inter τοὺς σοφοὺς, qui τὸ μυθολόγημα adhibent (Phaedr. p. 229 C.) ut id ἀλληγορικῶς interpretentur, numerat Antisthenem ex hisce indiciis: p. 229 D.: — λίαν δεινοῦ καὶ ἐπιπόνου (πόνος!) καὶ οὐ πάνυ εὐτυχοῦς-ἀνδρός — p. 229 D. ἀγροίκῳ τινὶ σοφίᾳ χρώμενος (ap. Aristot. Metaph. H. 3, p. 1043: Ἀντ. ᾤετο εὐηθῶς — οἱ Ἀντισθένειοι καὶ οἱ οὕτως ἀπαίδευτοι).

[3]) Diog. Laert. VI 104: τέλος τὸ κατ'ἀρετὴν ζῆν. — Id. 11.

possit, quidnam ei adest documentum quo approbet commendetve doctrinam suam? Severitate duritia omnes fere deterret et depellit, impudentia et arrogantia reliquos offendit — quodnam adiumentum tali homini praesto erat, quo excitaret cives suos, ut ad meliorem vitae conditionem pervenirent, exemplum a se datum imitati? Recte ad haec respondit Weber p. 93. „Ea enim erat Cynicorum consuetudo in qua tota eorum philosophia, quae de moribus est, constituta erat, ut efficacissima ad hominum animos permovendos exempla esse rati turpia vitiorum exempla, virtutum praeclara et aemulatione digna proponerent, illud scilicet consilium secuti, quod Demonax his verbis dat:

— *ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ* (Maxim. 2, p. 165, 28 ed. Gesn)."

Itaque exempla unicuique notissima et virtutum et vitiorum proponit Antisthenes eaque ad mores hominum corrigendos efficaciora putat quam solas disputationes merasque adhortationes. Sic Nestor est temperantiae exemplar, sapientiae Minerva ut Ulixes, voluptatis Venus, nobilitatis Achilles et Aiax, castitatis et prudentiae Penelope, amoris fallacis Calypso. [1])

In universum hucusque ostendimus Antisthenem operam dedisse explicando Homero; ad ethica praecepta praesertim Homerum adhibuisse eum colligere licet e titulis ipsis operum Homericorum [2]) — quos paucis perlustrabimus.

Continentur tomo octavo et nono; Muellerus Osannum secutus recte observat in distributione illorum operum ordinem et rationem quandam cerni ita, ut octavo volumine inveniantur scripta ad Iliadem perlinentia, nono

---

[1]) cf. Schol. ad Od. I. 1. — Weber ll. p. 226 sq. — Chappuis ll. p. 42 sq. — Mueller ll. p. 51 sq. — Duemmler Ant. p. 16 sq.

[2]) Pleraque scripta formam dialogi habuisse libenter credimus Hirzelio ceterisque viris doctis. cf. Joel. ll. p. 399, nt. 2: Ant. der die gorgianische Rhetorik mit der schlagenden Dialogik verband. cf. Diog. Laert. VI. 1.

argumenta ex Odyssea tractentur. Praecedunt scripta poesin in universum spectantia, prooemii instar. Perpauca ex hisce operibus supersunt fragmenta, multis variisque conjecturis occasio datur, si quis refingere velit, quid singula scripta continuerint.

Tres, ut dixi, praemittuntur libri, qui neque Iliaden solam neque Odysseam spectant, sed universam Homeri artem: 39, 40, 41.

39. — *περὶ μουσικῆς* —

Quid hoc titulo intelligendum sit, incertum est.

Parvi momenti est, quod conjecit Chappuis p. 45 musicae arti consanguineam esse poeticam; pari iure autem musicam et philosophiam Platone auctore [1]) conjungere licet. Antisthenem ad musicam artem attendisse constat. [2])

40. — *περὶ ἐξηγητῶν* —

Egit in hoc libro Antisthenes de interpretibus; e contumaci Cynici indole intellegitur Antisthenem reliquos *ἐξηγητὰς* contempsisse: [3]) quam acriter invectus sit v. c. in rhapsodos Xenophon in Convivio ll. testatur, acerrime quoque vituperasse eum interpretationes physicorum consentaneum est, nam qui Homeri sapientiam ex ethicis potissimum praeceptis explanandam esse censet, *ὑπονοίας φυσικὰς* ab Homero prorsus alienas putat. (cf. Weber ll.) Impugnasse itaque eum hoc libro ceteros Homeri interpretes et commendasse suam interpretationem verisimile est. Interpretationem poetae allegoricam, a sophistis aliisque sibi traditam eo libentius adhibere pergebat, quod sic solum Homeri carmina institutioni cynicae prodesse opinabatur. Restabat opinor eius scholae sectatoribus, quos disputare ac dialectice disquirere de vitae officiis rebusque humanis, ipsa ea quam sibi proposuerant lex [4]) vetabat, haec una

---

[1]) cf. Plat. Tim. p. 88 C. — id. Phaed. p. 61 H. (Wijttenb. ad p. 127).

[2]) Diog. Laert. VI. 5. — Xen. Symp. VI. 5.

[3]) cf. Duemmler Ant. p. 31.

[4]) cf. Arist. Metaph. H. 3, p. 1043 B. 25: *ὅτι οὐκ ἔστι τὸ τί ἔστι ὁρίσασθαι.*

via, ut summorum virorum exempla summi poetae auctoritatem discipulis ostenderent.

Sed licet multum tribuerit auctoritati Homeri Antisthenes, non semper eum laudat, immo si opus est, vituperare eum audet, ut fecit Anaxagoras; negat quoque nonnunquam, sententias narrationemve poetae ita posse accipi, ut traduntur et vulgo explicantur. Quod Cynicis omnibus fere proprium esse videtur, mox enim Diogenes [1]) v. c. Homeri frigidam fabulam de Hercule deridet et postea Bion [2]) pariter Theognidem poetam castigat.

Arte sua Cynicus homines ad principia audienda invitabat, ad scripta legenda excitabat, id vero eo tantum proposito, ut artem poeticam ad docendos homines pro ancilla philosophiae adhiberent. [3]) Quantopere artis poeticae venustati ac dignitati eo consilio saepe nocuerint Cynici, supervacaneum fere est dicere — quum enim vulgo id efficiat poesis, ut modo altioribus animi affectionibus efferat lectorem modo facta et res gestas sensibus quasi subjiciat, Cynicus philosophus in carminibus nihil nisi adjumentum invenit, quo placita sua discipulis magis commendaret. [4]) Antisthenes ergo ut multi eius aetatis philosophi, fabulas ab antiquitate traditas ad rem suam transfert et pro consilio suo mutat [5]) aut exornat, quemadmodum novimus poetas scenicos easdem varie mutasse et ad rem praesentem accommodasse.

Ceterum, ut hoc addam, Antisthenem in ethicis suis adamasse mythorum usum Julianus multis locis testatur [6]).

---

[1]) Weber ll. p. 152 ad Odyss. XI, 600 sq. (*εἴδωλον* Herculis.)

[2]) Weber ll. p. 180. — cf. Hense ad Bionem Mus. Rhen. 1892, p. 235: Wie frei ja wie willkürlich die Kyniker zumal mit Homerischen und Euripideischen Materiale umsprangen bedarf... keiner Darlegung. — (cf. Luc. vit. auct. 9.) id. p. 234.

[3]) cf. Weber ll., p. 79, 91, 170 sq.

[4]) Wyttenbach de phil. laud. — Chappuis ll., p. 40-42. — Weber ll., p. 181.

[5]) Joel ll., p. 418 — der Reiz der Tradition zu widersprechen mag Ant. z. B. zu einer ungünstigen Anslassung über die *σοφία* des Palamedes veranlasst haben.... Stallb. ad Plat. Protag. p. 320 C. D.

[6]) Julian. Orat. VIII, p. 209 A. — Id. p. 215 B. — Id. p. 217 H. —

41. — *περὶ Ὁμήρου.* —

Egit fortasse Antisthenes hoc quoque libro de iis quae breviter ad praecedentem titulum exposui, sed praesertim de eo, quod Dio Chrysostomus commemorat [1]) in oratione LIII: p. 276. *ὁ δὲ λόγος οὗτος Ἀντισθένους ἐστὶ πρότερον, ὅτι τὰ μὲν δόξῃ, τὰ δὲ ἀληθείᾳ εἴρηται τῷ ποιητῇ* quae significant: Quamquam Homero praecipue summos tribuit honores Cynicus interdum errare aut sibi non constare poetam existimat; errores et repugnantias in Homero eo explicare studet, quod poeta consulto ad vulgares opiniones quamvis falsas descenderit. Memorabile est postea Zenonem eandem fere sententiam de Homero promulgasse. [2]) Addit Dio Antisthenem singulos aliquot locos elegisse, quibus rationem suam interpretandi exhibuerit.

42. — *περὶ ἀδικίας καὶ ἀσεβείας.* —

Haec commentatio secundum Muellerum prima ad Iliadem spectat. [3]) Longe diversa sunt, quae de hoc titulo habet Joel. p. 353. Comparat titulum cum argumentis, de quibus Socrates semper disserebat (Xen. Mem. I. 1. 16): *τί εὐσεβές, τί ἀσεβές, τί καλόν, τί αἰσχρόν, τί δίκαιον, τί ἄδικον, τί σωφροσύνη, τί μανία,* quarum quaestionum argumentum et finis mirum quantum conveniant cum titulis disputationum Antisthenicarum: cf. 15: *περὶ νόμου ἢ περὶ καλοῦ καὶ δικαίου,* 10: *περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας* 42, cet. Quae observatio viri sagacissimi, quamvis acuta, parum proficeret, nisi accuratius eam exposuisset p. 361: Nun

---

Ἀντισθένει δὲ καὶ Ξενοφῶντι καὶ αὐτῷ Πλάτωνι πραγματευομένοις ἠθικάς τινας ὑποθέσεις, οὐ παρέργως, ἀλλὰ μετά τινος ἐπιμελείας, ἡ τῶν μύθων ἐγκαταμέμικται γραφή.... ἔχρην τὸν Ἀντισθένειον τύπον ἐγχαράττειν.

[1]) cf. Mueller p. 52, Chappuis p. 43.

[2]) *ὁ δὲ Ζήνων οὐδὲν τῶν [τοῦ] Ὁμήρου ψέγει, ἅμα διηγούμενος καὶ διδάσκων, ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέγραφεν, ὅπως μὴ φαίνηται αὐτὸς αὐτῷ μαχόμενος ἔν τισι δοκοῦσιν ἐναντίως εἰρῆσθαι.*

[3]) — p. 52: referenda videtur ad Il. I initium, ubi Agamemno Chrysen filiam redempturum impie repellit et Achilli Briseidem iniuste eripit. Haec ita virum doctum conjectasse „aliqua cum probabilitatis specie" iudicat Duemmlerus.

schrieb ja Antisthenes .... über das Verhältnisz einzelner Tugenden; — quae sententia etiam valet de vitiis, si ad nostrum titulum attendimus. Eam virtutum vitiorumque aut rerum inter se contrariarum oppositionem, quam Antistheni tribuit Joel, optime cum Cynici ratione et philosophia convenire non negaverim — id enim confirmant multa ipsorum titulorum exempla [1]) —, verum etiam si consedamus, verum vidisse Joelum, non tamen dubito, quin cum Homerico argumento conjungere titulum nostrum liceat. Quod autem notissimum eorum vitiorum exemplum ex Iliade attulit Mueller, num id unicum fuerit huius libri argumentum, discernere non ausim. Notandum est Antisthenem hoc libro denuo egisse de impietate eamque improbasse, etsi religioni communi resisteret [2]).

43. — *περὶ Κάλχαντος.* —

A primo etiam Iliadis libro profectus liber secundum Muellerum. Memoratur Calchas in Iliade I. vs. 86, 69 sq. — XIII. vs. 45, 70 — Praeferendus, si quid video, locus e primo libro, quia altero loco *ἐν παρέργῳ* tantum Calchas memoratur, cui se assimilat Neptunus.

44. — *περὶ κατασκόπου.* —

Respici putant librum Iliadis decimum, quo Dolon (vs 314 sq.) Hectori se offert speculaturum castra Graecorum noctu, sed mox captivus factus a Diomede occiditur. Dio Chrysostomus Dolonem tanquam ignaviae exemplar et gloriae cupiditatis proponit, Antisthenem hic fortasse, ut in multis imitatus. [3]) Winckelmannus pro *κατασκόπου*

---

[1]) cf. 16: *περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας* — 36: *περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως.* — 31: *περὶ δόξης καὶ ἐπιστήμης.* — 33: *περὶ ζωῆς καὶ θανάτου.* — 42: *περὶ ἀδικίας καὶ ἀσεβείας* welche (sic Joel ll. pergit) Ant. wird geeinigt haben, wie sie Protagoras als Gegensatz zur *πολιτικὴ ἀρετή* (cf. Plat. Phaed. p. 69 B, p. 82 A. — Rep. IV, p. 428, 433 cet.) einigt (Protag. p. 323 E, 324 A.).

[2]) Diog. Laert. VI 72. — Id. 6: *δεῖν ζῆν εὐσεβῶς καὶ δικαίως.* — cf. Hirzel. in Mus. Rhen. 1892, p. 365: Pietas und Justitia galten auch Antisthenes als die beiden Grundpfeiler menschlichen Glücks.

[3]) Weber ll. ad Dionis Chrys. orat. LV. — p. 227. — Attendendum

proponit τερατοσκόπου, idque jungere velle videtur cum praecedenti de Calchante titulo; quod mihi eximie placere fateor. Novimus enim Antisthenem praeter religionem communem, vaticinia artesque divinandi despexisse pariter ac eos qui ea interpretabantur, haruspices. [1]) Artibus eiusmodi excellentem prae omnibus Calchantem descripsit Homerus — notissimum illud Calchantis exemplum fortasse ansam praebuit Antistheni ad reprehendendam vatum eorumque interpretationum fidem [2]).

45. — περὶ ἡδονῆς. —

De argumento summa inter v. d. dissensio est. Displicet Osanni coniectura, qui ἡδονῆς mutari iussit in Ἑλένης, junxit que, particula ἢ inserta, cum titulo περὶ κατασκόπου ita, ut speculator ille intelligeretur Ulixes, quo respiceretur Od. IV ubi „Ulixes intra ipsos muros Trojae pervenisse ibique ab Helena agnitus per Hecubam servatus esse ferebatur." Parum favet huic conjecturae, quod in reliquis titulis duplicibus praecedit nomen proprium cf. 21, 22, 26, 58 cet., porro dubium est, agnitusne Ulixes ab Helena aptam det materiem ad philosophandum; denique fabula ista nos ducit ad Odysseam, cuius historiae ἕνατος τόμος facit initium.

In nono volumine opera ad Odysseam pertinentia inveniuntur, de quibus maiore paulo probabilitate divinari nobis licet tam propter duplices titulos quam propter nomina propria.

Quod tanto magis argumenta ex Odyssea sumpta placuerunt Antistheni, id nemo profecto mirabitur. Nam nemo melius exemplum et morum et sapientiae praebuit quam Ulixes, nusquam simplicius quam in Odyssea et evidentius

---

est, libro 59° κύριοι titulo denuo verba ἢ κατάσκοποι addi explicationis causa, inter quos speculatores omitti Dolonem famosum haud verisimile est.

[1]) cf. Cic. de Nat. Deo. I. 13. — Zeller II, p. 330.

[2]) Diog. Laert. VI. 4. — 24 (de Diogene). — Chappuis. ll. p. 11. — Joel p. 486, nt. 2.

vitae cottidianae casus describuntur,[1]) rixae, caedes, res vi et armis in Iliade gestae locum commutaverunt in Odyssea cum vitae plerumque placatae et quietae affectionibus vicissitudinibusque, denique, quum immortales potissimum partes agant in Iliade, hic saepius partes mortalibus tribuuntur.

46. — *περὶ Ὀδυσσείας.* —

Laudat iam Phrynichus[2]) hunc librum. Ita ut in opere 41: *περὶ Ὁμήρου* de arte ac ingenio Homeri universe praefatus esse videtur, sic hoc opusculum praefationis instar fuisse dixerim, qua de Odysseae aestimatione et explicatione egerit.

47. — *περὶ τῆς ῥάβδου.* —

Titulus a Duemmlero quam accuratissume examinatus, difficillime explicatur; dabat quidem Ambrosius lectionem: *περὶ τῆς ῥάβδου Ἀθηνᾶς* expletam e sequenti titulo *Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου*, sed Duemmlerus ostendit de hoc titulo dubitari non posse.[3])

Difficultas explicationis eo oritur, quod virgam non tribuere possumus certae personae: aut Circae, aut Mercurii, aut Minervae dici potest.[4]) Muellerus praefert Mercurii virgam, Chappuis Circae, minus recte fortasse, quia de Circe peculiari libro, nempe 53°: *περὶ Κίρκης*, egit Antisthenes; ceterum, ut in re incertissima, tacere praestat.

48. — *Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου.* —

Haeremus denuo. Chappuis contendit nos docere aliquid de hoc libro scholion Antisthenis ad Iliad. XV. 123: *εἴ τι πράττει ὁ σοφὸς, κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ, ὡς καὶ ἡ Ἀθηνᾶ τριχῶς νουθετεῖ τὸν Ἄρην.* Dubia haec suspicio

---

[1]) cf. Arist. Rhet. III. 3: *τὴν Ὀδύσσειαν, καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον.* — cf. Bernhardy Gr. Litt. Gesch. II. p. 64: aus der Odyssee konnte man fast unmittelbar bloss eine Summe *praktischer Moral* entwickeln. —

[2]) Phot. Bibl. p. 101 B., 4 sq. — Mueller p. 28.

[3]) Duemml. ll. p. 17. — Winkelm. ll. p. 14.

[4]) Od. X. vs. 238, 293, 319, 389. (Circ.) Od. V, vs. 47 sq. XXIV, 2. Il. XXIV, 243 (Merc.) Od. XIII, vs. 429. XVI, 172, 476 (Min.).

videtur, quoniam hoc libro argumentum ex Odyssea tractatum esse constat: in Odyssea autem Minervam semper agentibus sapienti consilio et fortiter opitulantem deprehendimus: ita quoque Telemacho adest. [1]) Ipsam deam ut iam dixi, Antisthenes allegorice accipit tanquam *τῆς φρονήσεως* exemplum idemque multi interpretes in scholiis fecerunt. Quum hoc verum sit, fortasse non nihil ad Antisthenem referri licet ex iis, quae traduntur in schol. ad Od. I. vs. 96, quae, quantum scio, nemo huc usque Antistheni tribuit. [2])

49. — *περὶ Ἑλένης καὶ Πηνελόπης.* —

Cur conjungantur illae uxores, latet. Quantum discrepant moribus! Altera pravis affectibus obnoxia, altera bonis principiis obsecuta est. [3])

50. — *περὶ Πρωτέως.* —

Spectat hic titulus ad Od. IV vs 384—570; notandus in hisce versus 392: *ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ'ἀγαθόν τε*

---

[1]) Od. I, vs. 113—328. Excitat Telemachum ut iter suscipiat ad patrem explorandum. Od. II, vs. 260—295. Promittit Telemacho navem se instructuram, semetque ipsam comitem offert. — in quibus, si non audacius est in re incerta aliquid probabile suspicari, haecce fortasse Cynicum philosophum adverterunt: plus semel indicatur quo modo *ἀνοήμων* qui est, aut fiat aut sit *κακός* (vs. 270, 281), laudatur praestantia Ulixis ut qui sit ad *ἔργον τε ἔπος τε* pariter paratus (vs. 271 sq.), laudatur Penelope (vs. 274 — cf. op. 49, 55, schol. ad Od. V, 211: *περίφρων Πην.*). Telemachum, quoniam nec ignavus nec stolidus est (vs. 279 sq.) *μῆτις* (*φρόνησις*) patris non relinquet — contra proci: *οὔτε νοήμονες οὔτε δίκαιοι* (vs. 283 cf. schol. *δογματίζει Ὅμηρος ὅτι ὁ ἄδικος καὶ ἀσυνετός ἐστιν*).

[2]) *Τὸ λέγειν τὴν Ἀθηνᾶν καλὰ πέδιλα φορεῖν οὐκ ἄλλο δηλοῖ ἢ ὅτι τῆς φρονήσεως αἱ ἐνεργητικαὶ δυνάμεις στιβαραὶ καὶ ἄλκιμοί εἰσι. τὸ δὲ ἐπέχειν ἔγχος ἐν ᾧτινι δαμάζει τοὺς ἥρωας τὸ πληκτικὸν ὑποσημαίνει τῆς φρονήσεως. ὁ γὰρ φρόνιμος διὰ τοῦ οἰκείου λόγου πλήττει τὸν ἀνακτοῦντα. τὸ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἐξ οὐρανοῦ κατελθεῖν οὐκ ἄλλο αἰνίττεται ἢ ὅτι ἡ φρόνησις ἐκ τοῦ νοῦ κατέρχεται* (cf. schol. ad vs. 101; *πάντων δὲ κρεῖττον καὶ ἰσχυρότερον ὁ νοῦς.*).

[3]) Duemmler putat „comparationis occasionem praebere Telemachi iter Laconicum."

τέτυκται qui versus multis [1]) carissimus, Cynicis potissimum in ore erat. [2])

Muellerus existimat scholia ad versus laudatos interpretationes allegoricas continere, quarum quaedam fortasse Antisthenis sunt. Quod si, ut mihi videtur, vera suspicatus est vir doctus, licebit fortasse attendere ad ipsius Protei indolem atque ingenium aenigmatum prudentiaeque plenum, e quibus ad multas allegorias resque symbolice accipiendas occasio datur. [3]) In universum mirum est quantum in hisce potissimum scholiis moralia [4]) imprimis praeponantur; porro est memorandum, quot loci apte conveniant ei, qui instituere [5]) vult τοὺς νέους; praeterea scholiasta identidem exponit, quatenus Proteo μαντικῇ χρωμένῳ [6]) fides sit habenda. Etsi nemo pro certo affirmare

---

[1]) Gell. N. A, XIV 6. — Dio Chrys. or. XL. init. — Voss. De nat. art. s. de Phil. 18 (init.) — Chappuis p. 42.

[2]) Weber p. 102 — Diog. Laert. VI 103: μόνῳ προσέχειν τῷ ἤθικῷ — Δεῖ ζητεῖν: ὅττι τοι cet. παραιτοῦνται (Cynici) δὲ καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα. γράμματα γοῦν μὴ μανθάνειν ἔφη ὁ Ἀντισθένης τοῦς σώφρονας γενομένους, ἵνα μὴ διαστρέφοιντο τοῖς ἀλλοτρίοις.

[3]) cf. Nägelsbach: Homer. Theol. p. 80—82. — Preller: Gr. Mythol. II p. 380. — Wilamowitz: Hom. Unters. p. 27. — Verg. Georg. IV 387 (ed. Forbig.). — Schol. ad vs. 384: τὸ δὲ Πρωτέως ὄνομα εἰς τὴν ἀλληγορίαν ἐπιτήδειον.

[4]) Schol. ad vs. 450: ἔστιν οὖν καὶ τοῦτο παίδευμα τοῦ Ὁμήρου τὸν σοφὸν ἂν τεταγμένῃ τῇ διαίτῃ χρῆσθαι, καὶ μὴ ἄλλοτε ἄλλῃ. — Id. ad vs. 535: ἔοικεν ὡς τρυφητοῦ κατηγορεῖν τοῦ Ἀγαμέμνονος καὶ μεθύσου καὶ διὰ τοῦτο ἀγνοοῦντος καὶ τὴν αὐτοῦ ἐπιβουλὴν ὡς μεμεθυσμένου. (cf. Weber p. 227: incontinentiae exemplar Agamemnonem fuisse Antistheni concludit e Dionis oratione LV, in qua totam interpretandi Homeri rationem profecto esse Antisthenicam ostendit).

[5]) Schol. ad vs. 503: ἡ διάθεσις τοῦ μύθου ὠφέλιμος τοῖς νέοις. — Id. ad vs. 505: καὶ παραινεῖ μὴ μεγαλίζεσθαι θυμῷ μηδὲ ἑαυτὸν ἐπαίρειν. (Weber p, 241: verba δόξα et τῦφος Cynicorum quasi tesserae sunt. — Id. ad vs. 553: παιδευτικῶς ὁ ποιητὴς, μὴ ὑπὸ λύπης ἐκκρούεσθαι τῶν μαθημάτων. — Id. ad vs. 567: ἀλλὰ καὶ τῆς ψυχῆς τὸ διανοητικὸν ἔχειν δοκεῖ καὶ πρὸς ἐπίνοιαν συντελεῖν.

[6]) Antisthenem saepius disseruisse περὶ τῆς μαντικῆς observat Joel ll. p. 358 nt. 3; p. 486 nt. 2; — identidem in hisce de Protei historia scholiis de arte ea disputari per se apparet. — cf. Schol. ad vs. 384, 456, 542 cet.

potest Antistheni ipsi nos quaedam in scholiis hisce debere, tamen multa, opinor, sapientiam Anthisthenicam redolent.

51. — Κύκλωψ ἢ περὶ Ὀδυσσέως. —

Referunt Chappuis et Muellerus ad hunc librum scholion ad Od. IX. vs. 525: ὡς οὐκ ὀφθαλμόν γ' ἰήσεται οὐδ'' Ενοσίχθων — ad quae scholiasta quidam: διὰ τί Ὀδυσσεὺς οὕτως ἀνοήτως εἰς τὸν Ποσειδῶνα ὠλιγώρησεν εἰπὼν: ὡς οὐκ ὀφθ. e. q. s.: Ἀντισθένης μέν φησι διὰ τὸ εἰδέναι ὅτι οὐκ ἦν ἰατρὸς ὁ Ποσειδῶν ἀλλ' ὁ Ἀπόλλων. Ἀριστοτέλης δὲ οὐχ ὅτι οὐ δυνήσεται ἀλλ' ὅτι οὐ βουληθήσεται διὰ τὴν πονηρίαν τοῦ Κύκλωπος [1]).

Duemmlerus observat titulum nostrum non recte a Diogene tradi videri „nam nominativo colloquii persona principalis poni solet et cum praepositione περὶ additur dialogi argumentum." Non video contra hanc legem peccari in nostro titulo, nam nihil obstat quominus Cyclops dialogi persona principalis fuerit, cuius nomen quoque libro Odysseae nono praefigitur: (Κυκλώπεια) [2]).

52. — περὶ οἴνου χρήσεως ἢ περὶ μέθης ἢ περὶ τοῦ Κύκλωπος. —

Non miramur Antisthenem Cynicum de vitiis hisce egisse; proposito Homerico exemplo [3]) carpsisse eum victus abundantiam per se patet. [4]) Sejunxit hunc librum

[1]) Etiamsi desint documenta, quae confirmant revera hunc versum et scholion referenda esse ad titulum 51um, tamen scholion recepi in textum, quia admodum est memorabile, qua ratione hic quoque Antisthenes Ulixem suum ab omni culpa defendere studeat.

[2]) Legas quoque, quaeso, Hirzelii verba in Rhen. Mus. 1892, p. 383, qui, postquam disseruit de dialogis e mythologia desumptis, pergit sic: Auf Dialoge solcher Art (mythische) scheinen mir in dem Schriftverzeichnisse Titel wie 48: Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου und Κύκλωψ ἢ περὶ Ὀδυσσέως zu deuten, Titel, mit denen man nur deshalb nichts anzufangen wusste (cf. Duemmler. ll.) weil man die Consequenz nicht zu ziehen wagte, dass durch den einen die Göttin Athene, durch den andern der Cyclop als *Hauptperson* des Gesprächs bezeichnet wurden.

[3]) Cyclopem notissimum intemperantiae exemplum fuisse apparet ex Eurip. Cycl. vs. 558. — Ovid. Metam. XIV, vs. 211.

[4]) cf. Xen. Conv. IV, 41. — Diog. Laert. VI, 8. — Dio Chrys. VI, p. 202.

Winckelmannus p. 28 ab Homericis, fortasse quoniam Aristides in oratione XXV, (XLIX Keil. § 33) nudum tantum titulum περὶ (οἴνου) χρήσεως commemorat [1]).

53. — περὶ Κίρκης. —

Ad hunc librum viri docti nihil adnotant. Aliquid fortasse mihi in medium proferre licebit. Ad Circae artem magicam, quae libro decimo describitur hoc opusculum spectasse — id memorare otiosum est. Sed ipse libri titulus, qui est argumenti indicium, documento nobis est iam Antisthenem eadem in impugnandis voluptatis illecebris imagine delectatum, qualem postea adhibuisse Diogenem testatur Dio Chrysostomus or. VIII [2]) § 20 p. 283: *ἑτέρα δὲ δεινοτέρα μάχη καὶ ἀγών ἐστιν οὐ μικρὸς, ἀλλὰ πολὺ τούτου μείζων καὶ ἐπικινδυνότερος ὁ πρὸς τὴν ἡδονὴν, οὐκ ἄντικρυς βιαζομένην, ἀλλ' ἐξαπατῶσαν καὶ γοητεύουσαν δεινοῖς φαρμάκοις.... ὥσπερ Ὅμηρός φησι τὴν Κίρκην τοὺς τοῦ Ὀδυσσέως ἑταίρους καταφαρμάξαι, κἄπειτα τοὺς μὲν σῦς αὐτῶν, τοὺς δὲ λύκους γενέσθαι, τοὺς δὲ ἄλλ' ἄττα θηρία, τοιοῦτόν ἐστι τὸ χρῆμα τῆς ἡδονῆς, οὐχ ἁπλῶς ἐπιβουλευούσης, ἀλλὰ πάντα τρόπον, διά τε τῆς ὄψεως καὶ ἀκοῆς ἢ ὀφρήσεως ἢ γεύσεως ἢ ἁφῆς, ἔτι δὲ σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ ἀφροδισίοις διαφθεῖραι πειρωμένης, ὁμοίως μὲν ἐγρηγορότας, ὁμοίως δὲ κοιμωμένους* e. q. s. Nihil opus est addere; etiamsi Circae ars ut Cynicis ita aliis [3]) philosophis moralia spectantibus peridonea erat imago, totius orationis tenor ac color Cynicorum revocant memoriam.

---

[1]) Quo argumento motus, Duemmler varios hos titulos pertinuisse autumet ad unum dialogum, qui Cyclops erat nominatus, equidem non video.

[2]) Totam hancce orationem prorsus e genuinis Cynicis fontibus fluxisse non solum conjicias e titulo: *Διογένης ἢ περὶ ἀρετῆς*, sed etiam ex Herculis exemplo proposito. Luculenter et copiose de Cynicae originis indiciis egerunt Weber ll. p. 133—140. — De Arnim ll. p. 166 sq.

[3]) cf. Xen. Mem. I. 3, 7 sq.: ubi Socrates modicum victum commendat, exemplo notissimo Ulixis per iocum, usus: *καὶ τὴν Κίρκην ὗς ποιεῖν τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν, τὸν δὲ Ὀδυσσέα Ἑρμοῦ τε ὑποθημοσύνῃ καὶ αὐτὸν ἐγκρατῆ ὄντα καὶ ἀποσχόμενον τοῦ ὑπὲρ τὸν καιρὸν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι διὰ ταῦτα οὐδὲ γενέσθαι ὗν.*

Accedit quod *ὗς ποιεῖν*, *ὑικὸν*, *θηρίον ὕειον* et talia crebro Antisthenes eiusque sectatores adhibebant. Quapropter non neglegendum est quod apud Platonem omnium fere consensu Antisthenes significatur quum philosophus memorat *ὑῶν πόλιν* Rep. p. 372. (cf. *θηρίον ὕειον ἐν ἀμαθίᾳ* p. 535 E.) [1])

54 — *περὶ Ἀμφιαράου.* —

Refert Muellerus hunc librum ad Od. XV. 245 sq. Amphiaraus Iovi Apollinique pariter dilectus *οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδόν*. De praematura eius morte saepius et varie disputant veteres; idem fortasse, quamquam nullo modo confirmare ausim, Antistheni ansam praebuit ad sententias suas *περὶ τῆς εὐθανασίας* proferendas. [2])

55. — *περὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης καὶ περὶ τοῦ κυνός.* —

Titulus admodum depravatus est. *τοῦ* articulus molestus est, *καὶ* non est in codicibus, sed inseritur a plerisque editoribus. Separandae fortasse tituli partes:

— *περὶ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης* —

Quo spectet, prorsus latet. [3]) Tum sequitur titulus postremus: — *περὶ τοῦ κυνός* —

Respicitur Ulixis canis Argus Od. XVII. vs. 291 sq. 300, 306. Laudant *Κυνικοὶ* canem propter *τὸ ἀδιάφορον ζωῆς*, *τὴν ἀναίδειαν*, *τὸ φρουρητικὸν*, *τὸ διακριτικὸν* [4]) — altera illa Argus praestitit, qui summa erga dominum fide servata vicesimo demum redeuntem anno agnovit sordida veste indutum (vs. 327 sq.), quum Penelope ne adsidentem quidem et colloquentem secum conjugem ipsum esse crederet. [5])

---

[1]) cf. Zeller II, p. 326. — Joel, p. 527. cf. quae de hisce habent Duemmler, p. 14. — Joel, p. 382 nt. 4. — Weber, p. 241. — Buecheler, Mus. Rhen. XXVII, p. 450. — Phot. Lex.: *ὑηνία*: *σκαιότης καὶ ἀμαθία.*

[2]) cf. *περὶ τοῦ ἀποθανεῖν* cet. — Diog. Laert, VI, 5 : *τὸ εὐτυχοῦντα ἀποθανεῖν.* — Chappuis p. 83. — Schol. ad Iliad. XXIII, 65. — Cur ad hunc librum pertineat Od. XI, 326 (Mueller) non intelligo.

[3]) Chappuis respici posse putat Od. XIX.

[4]) Schol. ad Arist. p. 23 A. Brandis. — Winckelmann, p. 8. — Weber, p. 109 sq.

[5]) Haec habet Weber p. 111 sq.

Sed iam satis. Haec habui de Antisthenis studiis Homericis, quae dicerem.

Parva erant, concedo, sed quid ad haec dici potest? Desunt manifesta scriptorum vestigia; tituli qui soli fere supersunt saepe mutilati sunt, hic illic vel virorum doctorum conjecturis vel nostro Marte eos debuimus corrigere.

Praeter scripta Homerica, quae Diogenes Laertius Antistheni tribuit, in scholiis quoque nonnumquam Antisthenis nomen invenitur [1]), quamquam interdum, etiamsi nomen auctoris desit, vestigia quaedam Antisthenicae interpretationis in iis possunt deprehendi. [2]) Reliquum ergo est, ut quaeramus, quid scholia (ea potissimum quibus nomen Antisthenis inditum est), doceant de Homerica eius interpretatione, sed ingenue fateor non meum esse iter per hunc labyrinthum monstrare; cuius viae flexus et errores resolvere non difficillimum solum, sed nonnunquam inane etiam existimo — etenim quid singulis scholasticis debeamus perambiguum est. [3]) Ideo quoque hanc quaestionem intactam relinquo, quod Duemmlerus [4]) summo acumine et diligentia summam iam huius rei consecutus esse mihi videtur, cui afferre nova me posse vix spero, detrahere autem nolo.

---

[1]) Invenitur Antisthenis nomen in scholiis ad Od. 1, 1; V. 211; VII, 257; IX, 106; 525; Iliad. XI, 636; XV, 123; XXIII, 65.

[2]) Conatus sum talia pervestigare e scholiis ad titulum 50: *περὶ Πρωτέως*. — et 48: *Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου*.

[3]) cf. Buttmannum in schol. ad Od. p. 562. — Winckelm. p. 25.

[4]) In Antisthenicis, p. 19 sqq.

CAPUT III.

DE AIACE ET ULIXE DECLAMATIONIBUS.

Tandem ad eas declamationes, quas tota mea spectat disputatio Aiacem atque Ulixem dico, devenimus. De iis, ut accuratius hoc capite inquirere possem praemittenda erant, quae supra disserui. Nisi constaret enim, quid sophistis debuisse videretur Antisthenes, quidque in Homericis argumentis praesertim placuisset Cynico, vix ad finem perducere potueram quaestionem haud parvi, si quid video, argumenti, utrum scriptae ab Antisthene videantur declamationes, quas dixi, an philosopho nostro abiudicandae. Quam difficile sit de declamationibus discernere sintne genuinae necne, iam eo intelligitur, quod perpauca Antisthenis stili specimina praesto sunt, simulque prorsus fere absunt documenta, quibus efficias quomodo argumenta varia tractaverit Cynicus. [1]) Quod ad rationem dicendi copiamque et delectum verborum attinet, multum adiuvant eum, qui Antistheni vindicare vult declamationes, insignis, quae in iis observatur Gorgianae dictionis imitatio; nec minus valent color philosophicus et Socraticus, qui inest.

Quamquam neque mihi ignotum est, lubricam saepe viam inire eum, qui antiquum scriptum certo cuidam auctori

[1]) Confer quae censuerint, quantum ex paucis fragmentis licebat, Weber, Duemmler, Hirzel, in libris supra laudatis, de „Hercule" Antisthenis.

vindicare studeat et Boeckii [1]) viri clarissimi de hac re iudicio ex animo suffragor, tamen certa norma [2]) usus, indicia nonnulla a me adduci posse speravi, quae indolem harum declamationum Antisthenicam ostenderent. Quod si audacius sperasse videbor, tamen haud inutilem fecisse laborem me puto, si accurate collecta [3]) virorum doctorum de ea re iudicia exposuerim ac perpenderim.

Laborem nostrum trifariam dividimus. Primum agendum est de codicibus et editionibus, de forma ac stilo, de figuris tropisque, de sophistarum in dicendi modo imitationibus, ceterisque eiusdem generis. Dein de iis dicemus indiciis, quae ad originem Cynicam ducunt, colligemus, quantum potest, vestigia doctrinae Antisthenicae, in quibus enucleandis iuxta manifestiora documenta ad manum Antisthenis agnoscendam vel minutissima quaeque alicuius esse momenti unusquisque concedet.

Postremum tractabimus commentationes, quas v. d. Benselerus et Radermacherus de oratiunculis scripserunt.

Praeposui textum Aiacis et Ulixis — quod haud iniuste mihi fecisse videor, quia opuscula haecce obscuri quodammodo generis haud cuique ad manus sunt et necessarium mihi visum est indicare varias lectiones conjecturasque ex omnibus editionibus, quas adire potui; commentarii loco hic illic immiscui adnotationes, quibus allatis notatu digna quaedam observasse me existimo.

---

[1]) Philolaus p. 4: „Es kann nur die Unächtheit, niemals aber die Aechtheit einer Schrift überzeugend erwiesen werden."

[2]) In tractandis declamationibus viam secutus sum, quam praemunivit v. cl. Blass. cuius labor ac iundicium etiamnunc quaedam reliquit aliis diligentiusque examinanda ut ipse fatetur: Att. Beredsk, p. 337 et p. 339. — Rationem, qua examinanda sunt haec opuscula Blassius profert in praefatione ad Antiph. p. XVII: Utrum autem vera Antisthenis opera legamus an ab impostore aliquo nobis fraus fiat, equidem disceptare nolo, dijudicandumque iis relinquo, qui Antisthenis imaginem intuentes expressam certa ea norma uti poterunt.

[3]) Doleo non omnia quae ad quaestionem nostram pertinentia hic illic sunt exposita mihi praesto fuisse — pleraque ex hisce iam attigerunt Mueller. et Blass. ll.

Codices Bekkeri [1]) sunt C (Laurentianus, cui multum tribuit Bk.), J. M. N. X (Palatinus X, cuius auctoritatem unice esse sequendam Blass. v. cl. contendit in recentissima editione), *b*. Mosquensis, quo collato a Vatero nil lucramur sec. Blassium — de quibus omnibus fusius disputat Blassius in praefationibus editionum.

Editionibus usus sum praeter Winckelmannum hisce:

Oratores	Veteres	ed.	Stephanus 1575.
"	Graeci	"	Reiske 1773 vol. VIII. p. 52 sq.
"	Attici	"	Imm. Bekker 1824 vol. V. p. 663 sq. (Berolini et Oxonii).
"	"	"	Dobson 1828 vol. IV. (ipse inspicere non potui.)
"	"	"	A. C. Mueller 1858 vol. II. p. 193 sq. (Didot.)
"	"	"	Baiter et Sauppe vol. II. p. 167 sq.

Antiphontis orationibus et fragmentis adiunxit Fr. Blass. Gorgiae, Antisthenis, Alcidamantis declamationes — ed. Teubneriana 1870.

Id. editio altera correctior — ed. Teubneriana 1892.

In constituendo textu praecipue Winckelmannum et recentissimum editorem virum clar. Blassium secutus sum.

Post tantorum virorum curas parum aut nihil fere tironi mihi relictum esse, quod immutarem eo facilius concedas, quo magis reputes rationem dicendi singularem ac quaesitam, saepe a solita Atticorum dictione discedentem, iam per se a nimis audacibus conjecturis lectorem retinere.

Operae pretium est praefationem praeponere, quam habet Stephanus in editione sua, quam unde habeat, ignoramus. Ἰστέον ὅτι οἱ ἑξῆς λόγοι τῶν καλουμένων εἰσὶ μελετῶν.

---

[1]) cf. Bekker. Oratt. Att. V, p. 693, id. I, p. 161. — Blass. ll. copiose agit de codicum conditione praef. p. X sq. (ed. I), p. XXVIII sq. (ed. II). — Att. Beredsk. I² p. 71 (cf. II, p. 337 nt. 7).

καλεῖται δὲ ὁ Ἀντισθένους Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος ὥσπερ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Αἴαντος λεγόμενος. ὁμοίως δὲ καὶ Ἀντισθένους Ὀδυσσεύς. τοῦ δὲ Ἀλκιδάμαντος κατηγορία Παλαμήδους (ἥπερ ὁμοίως ὡς ἀπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἐστίν) ἁρμοζόντως ἐπιτέτακται ἡ ὑπὲρ Παλαμήδους ἀπολογία, καίπερ ὑπ' ἄλλου ῥητόρος (Gorgia) γεγραμμένη.

Quisquis fuit auctor, iure iam observat inesse analogiam aliquam inter opuscula Antisthenis, Alcidamantis, Gorgiae.

ΑΝΤΙΣΘΕΝΟΥΣ ΑΙΑΣ.

Ἐβουλόμην ἂν τοὺς αὐτοὺς ἡμῖν δικάζειν οἵπερ καὶ ἐν τοῖς πράγμασι παρῆσαν· οἶδα γὰρ ὅτι ἐμὲ μὲν ἔδει σιωπᾶν, τούτῳ δ' οὐδὲν ἂν ἦν πλέον λέγοντι. νῦν δὲ οἱ μὲν παραγενόμενοι αὐτοῖς τοῖς ἔργοις ἄπεισιν, ὑμεῖς δὲ οἱ οὐδὲν εἰδότες δικάζετε. καίτοι ποία τις ἂν δίκη δικαστῶν μὴ εἰδότων γένοιτο, καὶ ταῦτα διὰ λόγων; τὸ δὲ πρᾶγμα ἐγίγνετο 1)

Codd. Bekkeri X et ex eo derivati C. J. M. N. [P] quibus accedit b (cf. Blass. praef). De titulis iam in praecedentibus locutus sum.

1) *οἶδα γὰρ.... λέγοντι* — unc. incl. Steph. Rsk. — *ἦν* om I. — *τοῖς αὐτοῖς* libr., *τοῖς ἔργοις αὐτοῖς* Rsk. — *αὐτοῖς τοῖς ἔργοις* Bk., B. et S. (rejecit Bl. propter gravem hiatum) — *ποία τις — ποία ποτ'* Gebauer arg. ex contr. p. XVI.

---

1) *τοὺς αὐτοὺς δικάζειν.* — Qui fuerint iudices alius aliter tradit, de qua re mox agam. Hic auctor litem dirimendam tradere videtur Trojanis captivis, qui *οὐδὲν εἰδότες* iure opponuntur *τοῖς παραγενομένοις* ipsis rebus i. e. Atridis. cf. Blass. ll. p. 338.

οἶδα γὰρ ὅτι ἐμὲ μὲν ἔδει σιωπᾶν, τούτῳ δ' οὐδὲν ἂν ἦν πλέον λέγοντι — obscure dicta verba melius intellegi possint si inserimus post *ἐμὲ μὲν* [*μόνον*] i e. tum, (si veri iudices adessent) satis mihi esset tacere, nec isti verba prodessent, (Ulixi sc.) *τούτῳ δ' οὐδὲν ἂν ἦν πλέον* — nota elocutio e Platonis Symp. p. 217 C.: *οὐδὲν γάρ μοι πλέον ἦν* i. e. nihil proficiebam cf id. p. 222 D. E.: *οὐδὲν πλέον αὐτῷ ἔσται.*

αὐτοῖς τοῖς ἔργοις praefero, quod *αὐτοῖς* ipsis rebus cum vi praeponendum est. De hiatu cf. infra p. 105.

καὶ ταῦτα διὰ λόγων — additur quum Aiax sentiat se coram iudicibus ab Ulixe vinci facundia; si *διὰ μαρτυριῶν* res esset decreta Aiax vicisset, nam *τὸ δὲ πρᾶγμα ἐγίγνετο ἔργῳ* (ultima vox Aiaci propria).

[2] ἔργῳ. Τὸ μὲν οὖν σῶμα τοῦ Ἀχιλλέως ἐκόμισα ἐγὼ φέρων, τὰ δὲ ὅπλα ὅδε, ἐπιστάμενος ὅτι οὐ τῶν ὅπλων μᾶλλον ἐπεθύμουν οἱ Τρῶες ἀλλὰ τοῦ νεκροῦ κρατῆσαι· τοῦ μὲν γὰρ εἰ ἐκράτησαν, ᾐκίσαντό τε ἂν τὸ σῶμα καὶ τὰ λύτρα τοῦ Ἕκτορος ἐκομίσαντο· τὰ δὲ ὅπλα τάδε οὐκ ἂν ἀνέθεσαν τοῖς [3] θεοῖς ἀλλ' ἀπέκρυψαν, δεδιότες τόνδε τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, ὃς καὶ πρότερον ἱεροσυλήσας αὐτῶν τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ νύκτωρ ὥσπερ τι καλὸν ἐργασάμενος ἐπεδείκνυτο τοῖς Ἀχαιοῖς. κἀγὼ μὲν ἀξιῶ λαβεῖν ἵν' ἀποδῶ τὰ ὅπλα τοῖς φίλοις, οὗτος δὲ ἵν' ἀποδῶται, ἐπεὶ χρῆσθαί γε αὐτοῖς οὐκ ἂν τολμήσειε· δειλὸς γὰρ οὐδεὶς ἂν ἐπισήμοις ὅπλοις χρήσαιτο, εἰδὼς ὅτι τὴν δειλίαν αὐτοῦ ἐκφαίνει τὰ ὅπλα.

[4] Σχεδὸν μὲν οὖν ἐστιν ἅπαντα ὅμοια. οἵ τε γὰρ βασιλεῖς

[2] ἀλλὰ τοῦ B. et S., ἀλλ' ἢ τοῦ in libr. — ἀνέθεσαν C. J. M. N. X., ἀνέθηκαν Steph. Rsk. — τόνδε, τόντες C.

[3] αὐτῶν τὸ ἀγ. C. J. M. N., αὐτὸν pr. X. (corr. [2]), αὐτῆς Steph., αὐτοῖς Rsk.

[4] λαβεῖν auctt. Steph. et Paris., λαβὼν vulg. — οὐδεὶς ἂν om. C. ἄν.

---

[2] τὸ μὲν οὖν σῶμα.... τὰ δὲ ὅπλα — cf. Hom. Od. V vs. 309 sq., Arctin. in Aethiop. fr. 4. cf. schol. ad Arist. Eq. 1065, Procl. Chrestom. p. 481 — in hisce omnibus narratur Aias tulisse Achillis corpus; apud Soph. Phil. 373, Ovid. Metam. XIII. 284, Q. Cal. Paral. V. 286 Ulixes servat corpus et arma.

ἀλλὰ post μᾶλλον anacoluthon non prorsus incognitum (cf. Isocr. ad Nicocl. p. 23 B. cet.); ἀλλ' ἢ: quod est in libris, ferri non potest. κρατῆσαι non debet perperam esse additum e sequentibus (-τοῦ μὲν γὰρ εἰ ἐκράτησαν), sic saepius in hisce opusculis brevi intervallo eadem verba iterantur (cf. infra). Notus quoque hic usus apud Gorgiam (cf. Hel.: ὅσοι δὲ ὅσους περὶ ὅσων....) aliosque scriptores.

[3] καὶ πρότερος ἱεροσυλήσας — Varie traditur aut solus Ulixes aut una cum Diomede Palladii furtum perpetrasse; (cf. quae dixi ad Od. 3, 7.) cf. Ovid. vs. 99 sq.

αὐτῶν τὸ ἄγαλμα plerique dant editores; an αὐτὸ τὸ ἄγαλμα: ipsam deae statuam?

ἐγὼ... ἵν' ἀποδῶ — οὗτος δὲ ἵν' ἀποδῶται — difficile opinor dictu, quorsum promissum illud spectet. Fortasse auctor de suo Aiaci subjecit, ut ille praeter ignaviam, pecuniae quoque aviditatem Ulixis carperet.

αὐτοῦ ἐκφαίνει τὰ ὅπλα — hiatus gravissimus inest. cf. Benselerum p. 169. Si quis fortasse corrigere vult, facile pro αὐτοῦ legi potest αὐτά.

[4] ὅμοια sec. Blass. (ed. I) non sanum; difficile sane explicatu.

τιθέντες τὸν ἀγῶνα ἱκανοὶ ὄντες περὶ ἀρετῆς κρίνειν ἐπέτρεψαν ἄλλοις, οἵ τε οὐδὲν εἰδότες δικάσειν ὑπισχνεῖσθε περὶ ὧν οὐκ ἴστε. ἐγὼ δὲ ἐπίσταμαι τοῦτο, ὅτι οὐδεὶς ἂν βασιλεὺς ἱκανὸς ὢν περὶ ἀρετῆς κρίνειν ἐπιτρέψειεν ἄλλοις μᾶλλον ἢπερ ἀγαθὸς ἰατρὸς διαγνῶναι νοσήματα ἄλλῳ παρείη.

Καὶ εἰ μὲν ἦν μοι ... πρὸς ἄνδρα ὁμοιότροπον, οὐδ' ἂν ἡττᾶσθαί μοι διέφερε· νῦν δ' οὐκ ἔστιν ὃ διαφέρει πλέον ἐμοῦ καὶ τοῦδε. ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἔστιν ὅ τι ἂν δράσειε φανερῶς, ἐγὼ [5)]

τιθέντες scripsi ex conjectura, διαθέντες libri. θέντες Rsk. — οὐκ ὄντες εἶναι βασιλεῖς C. J. M. N. X., βασιλεῖς ἔκοντες εἶναι Rsk., Bk., οὐκ ὄντες ἱκανοὶ βασ. cit. Rsk., ἔκοντες εἶναι om. βασιλεῖς B. et S., φάσκοντες εἶναι βασ. Jernstedt (obs. Antiph. p. 19), rec. Blass. in ed. II, οἵ τε οὐδὲν εἰδότες addi vult κριταὶ Rsk. — ἴστε, ἴσθε C.

5) ἦν μοι ...., addi vult Steph. ὁ ἀγών, pari iure ὁ λόγος Rsk. (cf. Od. I). Winckelm.: διαφορά. — „οὐκ ἔστιν ἃ διαφέρει?" Blass. ed. II. — ὁ μὲν γὰρ, om. γὰρ C.

Ni fallor cum Reiskio ita explicandum est: tota ratio e qua certamen hocce instituitur, stulta et iniusta est.

οἵ τε γὰρ.... verba valde corrupta sunt. Hic fere sensus est: Principes (Atridae sc.) virtutis iudicium aliis concesserunt. βασιλεῖς in nullo codice suo loco ponitur; fortasse aliquis dicat βασ. a posteriore manu esse additum atque in margine olim adscriptum, post in textum irrepsisse, quia in altero huius sententiae membro personae indole tantum moribusque significantur (οἵ τε οὐδὲν εἰδότες —). Cui opinioni assentiri non possum, quum in sequenti sententia idem vocabulum redeat (οὐδεὶς ἂν βασιλεὺς ἱκανὸς ὢν....) e quo apparet βασιλεῖς aptissime nostro loco convenire. Parisinus pro ἔκοντες dat οὐκ ὄντες, quod verum putat Reiske, sed tum pro εἶναι legit ἱκανοί. Recte quidem, opinor proposuit Rsk. ἱκανοί, sed reponendum id est pro verbis οὐκ ὄντες et ὄντες pro infinitivo εἶναι legendum, nam per se reges idoneos fuisse, qui iudicarent de virtute nemo negabit. Quod ad literarum ductus attinet nihil fere obest.

Initio διαθέντες legitur ab omnibus editoribus receptum. Perperam, puto; iam Reiske affert θέντες, sed, si quid video, melius huc quadrat praesens ex quo facilius explicatur corruptela. Decurrit nunc expedite sententia: οἵ τε γὰρ βασιλεῖς τιθέντες τὸν ἀγῶνα ἱκανοὶ ὄντες π. ἀρ. κρ.

5) ἦν μοι... Sauppio affirmanti nihil addi opus esse assentiri non possum, parum enim convenit exemplum quod affert ex Isocr. IV. 12: — ἐμοὶ δ' οὐδὲν πρὸς

δὲ οὐδὲν ἂν λάθρᾳ τολμήσαιμι πρᾶξαι. κἀγὼ μὲν οὐκ ἂν ἀνασχοίμην κακῶς ἀκούων, οὐδὲ γ' ἂν κακῶς πάσχων, ὁ δὲ
6) κἂν κρεμάμενος, εἰ κερδαίνειν τι μέλλοι· ὅστις γε μαστιγοῦν παρεῖχε τοῖς δούλοις καὶ τύπτειν ξύλοις τὰ νῶτα καὶ πυγμαῖς τὸ πρόσωπον, κἄπειτα περιβαλόμενος ῥάκη, τῆς νυκτὸς εἰς τὸ τεῖχος εἰσδὺς τῶν πολεμίων, ἱεροσυλήσας ἀπῆλθε. καὶ ταῦτα ὁμολογήσει ποιεῖν, ἴσως δὲ καὶ πείσει λέγων ὡς καλῶς πέπρακται. ἔπειτα τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων ὅδε ὁ μαστιγίας καὶ ἱερόσυλος ἀξιοῖ κρατῆσαι;

κακῶς ἀκούων οὐδὲ γὰρ (γ' ἂν) πάσχων κακῶς, versus est senarius, cf. ad Od. 9, Blass. ed. II (cf. infra caput. III), κακῶς πάσχων, οὐδὲ γὰρ ⟨ἂν⟩ κ. ἀκούων Jernstedt ll. — „num γ' ἂν pro γὰρ reponendum? Blass." — 6) εἴ γε, C. J. X. b: εἰ. — I. περιβαλλόμενος.

τοὺς τοιούτους ἀλλὰ πρὸς ἐκείνους ἐστί.... Credo fidem esse habendam plerisque viris doctis, qui h.l. aliquod verbum deesse putant; praeferenda mihi esse videtur Winckelmanni conjectura: διαφορά, nam hac voce inserenda restituitur Gorgiani stili imitatio in repetenda post breve intervallum eadem voce conspicua.

Id voluisse auctorem multi in hisce declamationibus loci indicant.

Jernstedt inseruit ἂν, rectius Blass. reposuit γ' ἂν pro γάρ.

Quod ad senarium attinet, quem inesse autumat Blass, conferas quaeso, quae infra contra Radermacheri rationem attuli.

6) τῆς νυκτὸς..... εἰσδὺς..... — Ante omnium oculos facinora sua fecisse bellatores magni aestimant, quo gloriatur h. l. Aiax. Contra Ulixi objicit, eum pleraque facta noctu perpetrasse occulte. Inde Ovid. l.l. 14: — sua narret Ulixes quae sine teste gerit, quorum nox conscia sola est; sic Seneca Troad. 754: Ulixes nocturnus miles. cf. Metammorphoseon editionem Jahnianam l. l.

ἱεροσυλήσας — mire h. l. speculationis et furti Ulixes incusatur. De tota hacce historia consultandus est Chavannes, qui Antisthenem ultro progressum esse in performando mytho ostendit in dissertatione de Palladii raptu, in qua primus, quantum video, de hoc loco dicit p. 55: „Ulixes unus, mendico habitu Trojam penetravit Palladiumque rapuit. Verbo ἱεροσυλήσας Palladii raptum significari antecedentibns verbis agnoscitur (cf. 3: ὃς (Ul.) καὶ πρότερον ἱεροσυλήσας αὐτῶν (Trojanorum) τὸ ἀγαλμα τῆς θεοῦ e. q. s.). Adde etiam Ulixis jactationes 8: ἐγὼ δὲ ἄοπλος... αἱρῶ. Sed et oraculi Trojanis dati urbem expugnari non posse nisi Palladio rapto Antisthenes hoc loco (Od. 3.) antiquissimus testis est, qui etiam haec satis mira tradit,

Ἐγὼ μὲν οὖν ὑμῖν λέγω τοῖς οὐδὲν εἰδόσι κριταῖς καὶ 7)
δικασταῖς, μὴ εἰς τοὺς λόγους σκοπεῖν περὶ ἀρετῆς κρίνοντας,
ἀλλ' εἰς τὰ ἔργα μᾶλλον. καὶ γὰρ ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ
κρίνεται ἀλλ' ἔργῳ· οὐδ' ἀντιλέγειν ἔξεστι πρὸς τοὺς πολε-
μίους, ἀλλ' ἢ μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ. πρὸς
ταῦτα ἀθρεῖτε καὶ σποπεῖτε· ὡς, εἰ μὴ δικάσετε καλῶς, γνώ-
σεσθε ὅτι οὐδεμίαν ἔχει λόγος πρὸς ἔργον ἰσχύν, οὐδ' ἔστιν
ὑμᾶς ὅ τι λέγων ἀνὴρ ὠφελήσει, εἴσεσθε δὲ ἀκριβῶς, ὅτι δι' 8)
ἀπορίαν ἔργων πολλοὶ καὶ μακροὶ λόγοι λέγονται. ἀλλ' ἢ
λέγετε ὅτι οὐ ξυνίετε τὰ λεγόμενα, καὶ ἀνίστασθε, ἢ δικάζετε

δεῖ post μαχομένους inseruit Blass. (ed. II[a]) — ἀθροῖτε J —.
δικάσητε vulg., δικάσεται Paris. voluit nempe δικάσετε dare (Rsk.) — γνώσεσθε C. γνώσετε J. M. N., γνωσθήσεσθε vulg. — ἀνὴρ: Blass ἀνήρ.

---

signum Minervae a Paride una cum Helena e Graecia Trojam avectum esse." cf. Ovid. Met. ll. 335.

ὁμολογήσει ποιεῖν — expectamus Aor. aut Perf. (cf. πέπρακται). Nisi corruptum est, sic explicandum videtur, ut Ulixes fateri fingatur se non tantum perpetrasse ea, sed perpetrare solere.

ὅδε ὁ μαστιγίας καὶ ἱερόσυλος cf. Od. 9. — Blass. Att. Beredsk. II p. 343.

7) Quanti similitudo inter hasce sententias et ipsius Antisthenis apophthegmata habenda sit infra copiose exponam. Aptissime auctor sententias eiusmodi Aiaci subjicit viro nobili ac forti, nam hoc habent heroes et milites strenui, ut eloquentiam spernant prae sua fortitudine. cf. Ovid. ll. 10, 19. (Jahn.)

κρατεῖν cf. Ai. 2.

Cur δεῖ inserat Blass, non video; immo potius omittitur. 1°. Non desideramus talem vocem, nam facile e praecedenti ἔξεστι suppletur. 2°. Minus eleganter inseritur, quia tum concinnitas antitheseos per chiasmum adhibitae dissolvitur (μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ.)

πρὸς ταῦτα ἀθρεῖτε καὶ σκοπεῖτε — ostentantis et gloriantis haec verborum iteratio Quapropter rectius ita mihi dividi sententia videtur quam si cum Bekkero post ἀθρεῖτε interpungas: ἀθρεῖτε· καὶ σκοπεῖτε, ὡς — Blass apte confert Mercurii verba ap. Aesch. Prom. 1030: πρὸς ταῦτα βούλευ' ὡς.....

δικάσετε Futurum necessarium videtur.

ἀνὴρ Blass scripsit, praefero equidem ἀνὴρ, nam ex Aiacis verbis apparet hoc voluisse heroem, ut in universum verba nihil valeant ad facta; unde ἀνὴρ pro τις (pron. indef.) esse positum existimo.

8) καὶ ταῦτα μὴ κρύβδην φέρετε....

ὀρθῶς. καὶ ταύτας <τὰς ψήφους> μὴ κρύβδην φέρετε, ἀλλὰ φανερῶς, ἵνα γνῶτε ὅτι καὶ αὐτοῖς τοῖς δικάζουσι δοτέα δίκη ἐστίν, ἂν μὴ δικάσωσιν ὀρθῶς. κἄπειτ' ἴσως γνώσεσθε ὅτι κριταὶ τῶν λεγομένων ἀλλὰ μὴ δοξασταὶ κάθησθε. ἐγὼ δὲ

ταῦτα codd., *ταύτας* Rsk., *τὰς ψήφους* ego inserui — *ὅτι οὐ κριταὶ ... ἀλλὰ δοξασταὶ* C. J. X. b. Bk., *ὅτι μὴ κριταὶ ... ἀλλὰ δοξασταὶ* Paris. inverse dat, non male sec. Rsk. — *ὅτι κριταὶ ... ἀλλὰ μὴ δοξασταὶ* Steph. quod fortasse etiam praestat Blass. (ed. I).

Reiske putat sententiam postulare *ταύτας* sc. *τὰς ψήφους*; recte quod ad sensum attinet. Litem a iudicibus per suffragia esse dirimendam apparet ex Ulixis verbis 5: — *ἐὰν ἐμοὶ τὰ ὅπλα ψηφίσωνται.* Hoc modo de armis tribuendis esse decernendum denotant etiam adverbia *κρύβδην* et *φανερῶς*, quae in suffragiis potissimum ineundis usitatissima sunt. cf. v. c. Plat. Legg. p. 766 B: *φερόντων ψῆφον κρύβδην*, id. 777 D: *τὴν δε ψῆφον φανερὰν φέρειν.* Denique certamen armorum revera per suffragia decretum esse efficimus e multis auctoribus, qui hocce argumentum tractaverunt.

Dubito autem, num *ταύτας* nude positum accipi possit pro: *ταύτας τὰς ψήφους*, nam nusquam, quantum video, in notissimo illo: *φέρειν τὰς ψήφους*, omittitur *τὰς ψήφους*.

Approbo igitur quidem *ταύτας* a Reiskio repositum, sed de meo in textum verba *τὰς ψήφους* inserui.

Operae pretium est addere Dobsonii huius loci versionem latinam: „Idque non occulte sed palam" scil. judicate, quae versio eo fortasse explicari possit, quod *φέρετε* translate dictum, eodem sensu acceperit ac praecedens *δικάζετε*.

Ὅτι κριταὶ τῶν λεγομένων ἀλλὰ μὴ δοξασταὶ — Hanc lectionem a Stephano propositam praefero hasce ob causas. Apertis verbis Aiax declarat se iudicibus constitutis fidem non habere, attamen sentit se ab eorum iudicio pendere. Iure igitur et consulto monet eos ut veros *κριτὰς* nec *δοξαστὰς* se praebeant. Discrimen illud acute ab Aiace propositum, quamvis satis notum sit, hic ex Platonis locis quibusdam confirmare liceat! *ἡ δόξα* refertur ad res sensibus subjectas neque efficit veritatis cognitionem suo nomine dignam et interponitur *μεταξὺ φρονήσεως καὶ ἀμαθίας* (Stallb. ad Plat. Symp. p. 202 A, cf Rep. p. 506 C: *οὐκ ᾔσθησαι τὰς ἄνευ ἐπιστήμης δόξας, ὡς πᾶσαι αἰσχραί*; Eadem autem ratione qua hic Antisthenes utitur inter *κριτὴν* (iudicem) et *δοξαστὴν* conjectatorem distinguit Antiphon: de caede Herod. 94: *νῦν μὲν δοξασταί, τότε δὲ κριταὶ τῶν ἀληθῶν.* Recte inde hoc loco iudices *κριτὰς* appellat. Metuit tamen, ut tanquam periti *κριταὶ* possint *δικάζειν* iuste: inde bis istos adhortatur, ut *ὀρθῶς δικάζωσιν* (cf. supra 8: — *δικάζετε ὀρθῶς* et *δικάσωσιν ὀρθῶς*, utraque cum summa vi in ipso fine sententiae posita).

E quibus apparet, ut mox copi-

διαγιγνώσκειν μὲν ὑμῖν περὶ ἐμοῦ καὶ τῶν ἐμῶν ἐπιτρέπω, [9]) διαδοξάζειν δὲ ἅπασιν ἀπαγορεύω, καὶ ταῦτα περὶ ἀνδρὸς ὃς οὐχ ἑκὼν ἀλλ' ἄκων ἀφῖκται εἰς Τροίαν, καὶ περὶ ἐμοῦ ὃς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος καὶ ἄνευ τείχους τέταγμαι.

ΑΝΤΙΣΘΕΝΟΥΣ ΟΔΥΣΣΕΥΣ.

Οὐ πρὸς σέ μοι μόνον ὁ λόγος, δι' ὃν ἀνέστην, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἅπαντας· πλείω γὰρ ἀγαθὰ πεποίηκα τὸ στρατόπεδον ἐγὼ ἢ ὑμεῖς ἅπαντες. καὶ ταῦτα καὶ ζῶντος ἂν ἔλεγον Ἀχιλλέως, καὶ νῦν τεθνεῶτος λέγω πρὸς ὑμᾶς. ὑμεῖς μὲν γὰρ οὐδεμίαν ἄλλην μάχην μεμάχησθε, ἣν οὐχὶ καὶ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν· ἐμοὶ δὲ τῶν ἰδίων κινδύνων οὐδεὶς ὑμῶν οὐδὲν ξύνοιδε. καίτοι ἐν μὲν ταῖς κοιναῖς μάχαις, οὐδὲ εἰ καλῶς [2])

[9]) *περί τ' ἀνδρὸς* vel *π. ἀ. θ'* mavult Blass. (ed. II) — *καὶ* ante *ἄνευ* delendum (cf. Od. 7) sec. Blass. (ed. II).

ὑμεῖς μὲν om. C. *μὲν* — post *οὐδεὶς ὑμῶν μετέχων* inseruit Winckelm. ll. p. 41 — *οὐδὲν ξύνοιδε, οὐδὲ* C.

[2]) *οὐδὲ εἰ* corr. Rsk., *οὔτε* libri — *ἅπαντα ἡμῖν* corr. Rsk., *ὑμῖν* retinuit Bk. — *ὧν ἕνεκα δεῦρο ἀφίγμεθα*, addiderunt *δεῦρο* C. X., rec. editt. — *εἰ δ' ἐσφάλην* Spengel mavult, *δὲ σφαλείην* libri.

---

ose ostendam, quanta cum cura compositae sint declamationes, quantique habendus sit in iis dijudicandis philosophicus color, quo utraque oratio imbuta est.

διαδοξάζειν ob praemissum *διαγιγνώσκειν* dixit quod iam observavit Reiskius. Est *δοξάζειν* vulgo in usu apud omnes, compositum apud Platonem tantum occurrit Phil. p. 38 B. — cf. Plat. Rep. V, p. 476 D ubi pariter *γιγνώσκειν* et *δοξάζειν* opponuntur.

καὶ ante *ἄνευ* potius retinendum est, de *καὶ* ter in hac sententiuncula repetito infra egi.

Mavult *περί τ' ἀνδρὸς* vel *π. ἀνδρός θ'* legere Blass; causa adest, sic enim concinnius, quae sequuntur verba post *καὶ ταῦτα* conjuncta sunt cum praecedentibus.

μετέχων inseruit Winckelmann, praeter necessitatem, opinor. *συνειδέναι τινί τι* proprie esse: aliquid cum aliquo scire s. alicui alicuius rei conscium esse Wyttenbach iam multis exemplis indicavit (cf. Wytt. ad Phaed. p. 92 D.); fortasse ut genitivus *τῶν ἰδίων κινδύνων* haberet, quo referatur v. d. inseruit. Sed non opus est, nam gen. pendere ab *οὐδὲν* potest.

[2]) Post *εἰ* cum opt. *ἀγωνίζοισθε*

ἀγωνίζοισθε, πλέον ἐγίγνετο οὐδέν· ἐν δὲ τοῖς ἐμοῖς κινδύνοις, οὓς ἐγὼ μόνος ἐκινδύνευον, εἰ μὲν κατορθώσαιμι, ἅπαντα ὑμῖν ἐπετελεῖτο ὧν ἕνεκα δεῦρο ἀφίγμεθα, εἰ δ' ἐσφάλην ἐμοῦ ἂν ἑνὸς ἀνδρὸς ἐστέρησθε. οὐ γὰρ ἵνα μαχοίμεθα τοῖς Τρωσὶ δεῦρ' ἀφίγμεθα, ἀλλ' ἵνα τήν τε Ἑλένην ἀπολάβοιμεν [3]) καὶ τὴν Τροίαν ἕλοιμεν. ταῦτα δ' ἐν τοῖς ἐμοῖς κινδύνοις ἐνῆν ἅπαντα. ὅπου γὰρ ἦν κεχρημένον ἀνάλωτον εἶναι τὴν Τροίαν, εἰ μὴ πρότερον τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ λάβοιμεν τὸ κλαπὲν παρ' ἡμῶν, τίς ἐστιν ὁ κομίσας δεῦρο τὸ ἄγαλμα

τοῖς.... ἀπολάβοιμεν om. I. — δεῦρ' ἀφίγμεθα pro δεῦρο b cum C. — τήν τε Ἑλένην om. C. τε.

[3]) εἰ μὴ, J. M. N. b: μὲν — σὺ γὰρ auct. Rsk. B. et S., σύ γε libri — οἴσθας X., οἶσθας M. N. b: οἶσθα.

---

sequi indicativum: πλέον ἐγίγνετο οὐδὲν (i. e. ne victoria quidem multum proderat) non est, quod miremur. Superbe Ulixes iactat τὰς κοινὰς μάχας nihil profuisse, quia eventus non ad suam unicam referendus erat opem. Aeque audacter in sequentibus gloriatur se solum, quotiens periculis a semet ipso solo sumtis feliciter rem gereret, omnia omnibus sociis perpetrasse. Recte igitur, quum in protasi casus aliquis fingitur et proponitur (opt. ἀγωνίζοισθε et κατορθώσαιμι), in apodosi sequitur indicativus ἐγίγνετο et ἐπετελεῖτο) quo indicatur de eventu ipso Ulixis operae dubitari non posse. Eodem modo pergit Ulixes loqui additque: at si quando (id quod nunquam evenit) felici eventu conamen meum caruisset, me uno (quae parva vobis iactura videbatur) orbati fuissetis. Quem sensum tum demum verbis inesse puto, si indicativum δ' ἐσφάλην a Spengelio repositum cf. Sp. ad Anaxim. p. 209) receperimus. Sententia postulat secundum Reiskium: — οὐκ ἂν ἐμοῦ, ἑνὸς ἀνδρὸς, ἀλλὰ τῶν ἁπάντων ἐστέρησθε.

[3]) ταῦτα δ' ἐν τοῖς ἐμοῖς κινδύνοις ἐνῆν ἅπαντα. Haec omnia in meis posita erant periculis. Suspicionem non movet verbum ἐνεῖναι quamvis hoc sensu parum usitatum. apte conferri poterit Sophoclis Oed. R. 597 sq.: νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες αἰκάλλουσί με· τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοῖς ἅπανθ' ἑνταῦθ' ἔνι.

ὅπου γὰρ ἦν κεχρημένον i. e. cum, quandoquidem per oraculum editum erat; quo sensu saepius adhibet Herodotus cf. I, 68, 192; IV, 195; VII, 160; Antiph. I, 7: ὅπου δὲ μὴ ἠθέλησεν ἐλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων....

— τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ λάβοιμεν τὸ κλαπὲν παρ' ἡμῶν.... Singularia profecto sunt, quae h. l. auctor tradit. Multae et variae erant fabulae de Palladii raptu. Vulgo quidem credebant antiquissimum

ἄλλος ἢ ἐγώ; ὃν σύ γε ἱεροσυλίας κρίνεις. σὺ γαρ οὐδὲν οἶσθα, ὅστις τὸν ἄνδρα τὸν ἀνασώσαντα τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ, ἀλλ' οὐ τὸν ὑφελόμενον παρ' ἡμῶν Ἀλέξανδρον, ἀποκαλεῖς ἱερόσυλον. καὶ τὴν Τροίαν μὲν ἁλῶναι ἅπαντες εὔχεσθε, ἐμὲ δὲ τὸν ἐξευρόντα ὅπως ἔσται τοῦτο ἀποκαλεῖς ἱερόσυλον; καίτοι εἴπερ καλὸν ἑλεῖν τὸ Ἴλιον, καλόν γε ἦν καὶ τὸ εὑρεῖν τὸ τούτου αἴτιον. καὶ οἱ μὲν ἄλλοι χάριν ἔχουσι, σὺ δὲ καὶ ὀνειδίζεις ἐμοί· ὑπὸ γὰρ ἀμαθίας ὧν εὖ πέπονθας οὐδὲν οἶσθα. κἀγὼ μὲν οὐκ ὀνειδίζω σοι τὴν ἀμαθίαν· ἄκων γὰρ αὐτὸ καὶ σὺ καὶ <οἱ> ἄλλοι πεπόνθασιν ἅπαντες· ἀλλ'

[4]) μὲν ἁλῶναι ἅπαντες om. N. — εἴπερ καλὸν ἑλεῖν τὸ Ἴλιον, καλόν γε ἦν κτέ ita scripsi suadente Blassio (ed. I et II) codd: εἴπερ καλόν γε ἦν ... καλὸν καὶ — εὖ πέπονθας, om. εὖ C.

[5]) — σὺ καὶ ἄλλοι, „deesse videtur articulus οἱ" Bk. add. S. quos secutus sum — πεπόνθατε J. (Bk.), πεπόνθαται M., πέπονθα N. b, πεπόνθᵃ X (i. e. πεπόνθατε, vel πεπόνθασιν Blass. ed. II) — ἄκων... ἅπαντες unc. incl. Steph.

ἀλλ' ὅτι, num ὅστις del. ἀλλ'? Blass. ed. I — δράσων τι Steph., Bk. libri:

Palladium Trojanum esse, διιπετὲς i. e. coelo delapsum (cf. Serv. ad Aen. II, vs. 166 sq.). Paulatim autem suum quaeque Graeciae urbs Palladium habuisse videtur, cuius originem singulae urbes Troja ipsa repetebant: varias excogitantes narrationes quibus exponebatur quomodo verum Palladium ad se devenisset. Quaestionem de Palladio tractare non est huius loci sed hoc monere operae pretium est, ante Antisthenem nullum scriptorem memorare Graecum Palladium a Paride raptum, qua de re praeter Chavannum (p. 74, 81) omnino conferendus est Spanhem. ad Callim. Hymn. in Minerv. vol. II, p. 650 sq.

οἶσθα (cf. Od. 6 bis,) — poetarum potissimum est οἶσθας.

ἀποκαλεῖς ἱερόσυλον bis brevi intervallo haec verba repetuntur. Opprobrium hocce in altera sententia Paridi objicit Ulixes, in altera sibimet ipsi objectum ab Aiace reiecit, recte igitur repetuntur haec verba, et addit singularem vim, ni fallor, quod hisce verbis utraque sententia terminatur.

[4]) Recte iam Blass. vidit γε post καλὸν in primo sententiae membro esse supervacaneum, post καὶ in altero membro esse necessarium. Vertendum enim est: atqui si pulchrum erat Trojam capere, pulchrum certe (γε s saltem) erat e. q. s.

τὸ Ἴλιον — neutrum satis memorabile; cf. Ariston. ad Hom. O. 71 et Zenodot. in Σ. 174; sed Antisthenis aetate iam praevaluit forma neutri. Euripides semel fem. formam habet Andr. 103 in versu epico.

[5]) διὰ τὰ ὀνείδη τὰ ἐμά: turpiter,

ὅτι διὰ τὰ ὀνείδη τὰ ἐμὰ σῳζόμενος οὐχ οἷός τε εἶ πείθεσθαι, ἀλλὰ καὶ προσαπειλεῖς ὡς κακὸν δράσων τι τούσδε, ἐὰν ἐμοὶ τὰ ὅπλα ψηφίσωνται. ἐγὼ δ' οἶδα, ὡς καὶ πολλάκις γε ἀπειλήσεις καὶ πολλά, πρὶν καὶ σμικρόν τι ἐργάσασθαι· ἀλλ' εἴπερ ἐκ τῶν εἰκότων τι χρὴ τεκμαίρεσθαι, ὑπὸ τῆς κακῆς
6) ὀργῆς οἶομαί σε κακόν τι σαυτὸν ἐργάσεσθαι.

Καὶ ἐμοὶ μέν, ὅτι <λάθρᾳ> τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίησα,

δράσαντι — ἐγὼ δ' οἶδα ὡς post ψηφίσ. add. C., scrips. Bk. om. Rsk. et S. — γε post πολλάκις om. C. Bk. scrips. Blass. δὲ S.

σαυτὸν ἐργάσασθαι C. J. M. N. X., Bk. S., ἐργάσεσθαι Steph. Blass.

6) τοὺς πολεμίους: „adde λάθρᾳ" Blass. ed. II. — εἴ τι φανερῶς mavult Rsk, libri ὅτι — ὅτι ante μετὰ del. S.; Blass. ed. II adnotat: olim ἢ addidi, commate post μάτην posito, puncto post ἦσθα, interrog. signis post εἶναι et λέγεις. — τοῦτ' ἔδρασας C. Rsk., Bk. τοῦτο δράσας J. M. N. X. b., rec S., οἶει τούτῳ

---

servilem in modum Ulixes tractatus fuerat, Rsk. — πείθεσθαι passive accipiendum, ὅτι σέσωσαι δι' ἐμὲ explicationis causa, addidit Rsk.

προσαπειλεῖς iudicibus nempe, ut fecit Ai. 8. — ψηφίσωνται cf. Ai. 8. — ἐγὼ δ' οἶδα ὡς a plerisque editoribus omissum, cum Bekkero retinere velim, nam sic bene se habet sententia. „Minaris tantum Aias, ego autem scio te iam saepius minas iactaturum, antequam ad res pervenias."

6) Jure Blass. inseruit λάθρᾳ, quod propter sequens substant. δειλίαν et Aiacis ipsius verba (Ai. 5) requiritur. In sequentibus sana mihi videtur Reiskii correctio σὺ δ' εἴ τι, ut verbum ἐμόχθεις habeat objectum, dein μάτην inserendum est ante ἐμόχθεις (cf. Eur. Med. 1030, Troad. 760 cet. huic verbo adamant addere ἄλλως s. μάτην) post quae aptissime sequitur: καὶ μάτην ἠλίθιος ἦσθα. Tum nova incipit sententia: ἢ (an, ins. Blass.) ὅτι μετὰ π. e. q. s. Quorum sensus esse videtur: Mihi, quod occulte hostes laesi, ignaviam objicis; tu autem quoniam palam frustra te excruciabas ad efficiendum aliquid vel frustra stultus eras. An quoniam cum (reliquis) omnibus hocce perfecisti, fortiorem te esse putas? Pro ἀποκτενεῖς omnino scribendum videtur ἄποκτάνοις.

κακῷ περιπεσών τῳ — ut in fine 5 denuo Ulixes significat imminentem Aiaci exitum; si recte video, nimis temere Blass. inseruit in textum ξίφει post τῷ: nemo dubitat de fatali morte, quam Aias sua manu sibi conscivit; addere eam planis verbis non opus est. Rectius se habebit hic locus, si cum plerisque editoribus: κακῷ... τῳ i. e. in malum quoddam, legimus; quam lectionem fere praebet cod. N.: περιπεσών. Conferenda sunt, quae post in refutanda Radermacheri huius loci interpretatione attuli.

Secundum Blass. ed. II. ante οὔθ'

δειλίαν ὀνειδίζεις· σὺ δὲ εἴ τι φανερῶς <μάτην> ἐμόχθεις, καὶ μάτην ἠλίθιος ἦσθα. ἢ ὅτι μετὰ πάντων τοῦτο ἔδρασας, οἴει βελτίων εἶναι; ἔπειτα περὶ ἀρετῆς πρὸς ἐμὲ λέγεις; ὃς πρῶτον μὲν οὐκ οἶσθα οὐδ' ὅπως ἔδει μάχεσθαι, ἀλλ' ὥσπερ ὗς ἄγριος ὀργῇ φερόμενος τάχ' ἄν ποτε ἀποκτενεῖς σεαυτὸν κακῷ περιπεσών τῳ. οὐκ οἶσθα ὅτι τὸν ἄνδρα τὸν ἀγαθὸν οὔθ' ὑφ' αὑτοῦ χρὴ οὔθ' ὑφ' ἑτέρου οὐδ' ὑπὸ τῶν πολεμίων [7] κακὸν οὐδ' ὁτιοῦν πάσχειν; σὺ δὲ ὥσπερ οἱ παῖδες χαίρεις ὅτι σέ φασιν οἵδε ἀνδρεῖον εἶναι· ἐγὼ δὲ δειλότατόν γε ἁπάντων τε καὶ δεδιότα τὸν θάνατον μάλιστα· ὅστις γε πρῶτον ὅπλα ἔχεις ἄρρηκτα καὶ ἄτρωτα, δι' ἅπερ σέ φασιν ἄτρωτον εἶναι. καίτοι τί ἂν δράσαις, εἴ τις σοὶ τῶν πολεμίων τοιαῦτα ὅπλα ἔχων προσέλθοι; ἢ που καλόν τι καὶ θαυμαστὸν ἂν εἴη, εἰ μηδέτερος ὑμῶν μηδὲν δρᾶσαι δύναιτο. ἔπειτα οἴει τι

β. εἶναι om. τοῦτο Ald. — πρὸς ἐμέ, με C. — σεαυτὸν X.: σαυτὸν — κακῶς M. J. C. N. X., κακῷ Ald. Bk. — περιπεσόντα C., περιπεσώντων M. περιπεσῶν N. omisso τῳ, περιπεσών τῳ X. J. b. Ald. Bk. — ξίφει inseruit Blass. post τῷ ed. II.

καὶ ante οὐκ οἶσθα C. οὐδ' S. — ὑφ' αὑτοῦ Steph. Rsk. ὑπ' αὐτοῦ vulg. Bk. S. — οὐδ' ὑπὸ τῶν Blass. ed. I; „ante οὔθ' ὑπὸ τῶν πολ. desideratur οὔθ' ὑπὸ τῶν φίλων" Blass. ed. II.

7) ἁπαντων καὶ C. Bk. τε καὶ Steph. S., ἐγὼ δέ γε δειλότατόν τε ἁπάντων σε καὶ δ. cit. Rsk. — ἄτρωτον C. X., πρῶτον J. M. N. b. οὐ τρωτὸν, Bk. — δράσαις editt., δράσῃς C. J M. N. X. b. — μηδὲ ἕτερος X. — post ὑμῶν

ὑπὸ τῶν πολ. desideratur οὔθ' ὑπὸ τῶν φίλων. Placebit cuidam fortasse hoc additamentum. Omittam equidem potius, nam recte quae leguntur se habent: vir fortis nec a semet ipso, nec ab alio, (quicunque est, sive amicus sive inimicus), ne ab inimicis quidem (οὐδ' ὑπὸ τῶν πολ.) laedi debet. Postremum οὔθ' inde mutandum est in οὐδ', ut ipse Blass. iam proposuit ed. I.

7) ἄρρηκτα καὶ ἄτρωτα arma — inter Aiacis arma primus est nominandus clipeus (Il. VII, 266; VIII, 267, XI, 485). In fabulis posthomericis multa adscribuntur Aiacis personae, quibus olim traditio caruit. Ita v. c. post ἄτρωτον eum vocant (cf. Plat. Symp. p. 219 E, Aeschyl. fr. 78) ut h. l. invulnerabilem eum appellat Ulixes; clipeum infractum (ἄρρηκτον) insuper ἄτρωτον „inviolabile telis" dicit ut transitum sibi paret ad notum Aiacis titulum.

τὸν ἕτερον addere post δρᾶσαι cum Reiskio non opus est, nam δρᾶσαι h. l. efficere sign.

ἔχειν ἢ — Infinitivus necessarius est a Reiskio repositus nam oppo-

διαφέρειν τοιαῦτα ὅπλα ἔχειν ἢ ἐντὸς τείχους καθῆσθαι; καὶ σοὶ μόνῳ δὴ τεῖχος οὐκ ἔστιν, ὡς σὺ φῄς· μόνος μὲν οὖν σύ γε ἐπταβόειον περιέρχῃ τεῖχος προβαλλόμενος σεαυτοῦ·
8) ἐγὼ δὲ ἄοπλος οὐ πρὸς τὰ τείχη <προσέρχομαι> τῶν πολεμίων ἀλλ' εἰς αὐτὰ εἰσέρχομαι τὰ τείχη, καὶ τῶν πολεμίων τοὺς προφύλακας ἐγρηγορότας αὐτοῖς ὅπλοις αἱρῶ, καί εἰμι στρατηγὸς καὶ φύλαξ καὶ σοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ οἶδα τά τ' ἐνθάδε καὶ τὰ ἐν τοῖς πολεμίοις, οὐχὶ πέμπων κατασκεψόμενον ἄλλον, ἀλλ' αὐτὸς <σκοπῶν> ὥσπερ οἱ κυβερνῆται τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν σκοποῦσιν ὅπως σώσουσι τοὺς ναύτας. οὕτω δὴ καὶ ἔγωγε καὶ σὲ καὶ τοὺς ἄλλους
9) ἅπαντας σῴζω. οὐδ' ἔστιν ὅντινα κίνδυνον ἔφυγον αἰσχρὸν ἡγησάμενος, ἐν ᾧ μέλλοιμι τούς πολεμίους κακόν τι δράσειν· οὐδ' εἰ μὲν ὄψεσθαί μέ τινες ἔμελλον, γλιχόμενος ἂν τοῦ δοκεῖν ἐτόλμων· ἀλλ' εἴτε δοῦλος εἴτε πτωχὸς καὶ μαστιγίας

Rsk. addere vult *τὸν ἕτερον - ἔχειν ἢ* (vel *τοῦ*) Rsk. *ἔχων* S. — *περιέρχει* M. N. b.

8) *πρὸς τὰ τείχει* X. — *προσέρχομαι* ante *ἀλλ' εἰς* addi mal. Rsk. — *φύλακας* vulg. — *ὅπλοις* C. Bk. iam Steph., *ὅπλοισιν* vulg., *αὐτοῖς τοῖς* Chavannes. — *πέμπω* J. M. N. X. b. — *αὐτὸς <ἰών>* inser. Blass. — *ὥσπερ <δὲ>* inser. Blass. — *σώσωσι* J. — *τὰς ναῦς* C. — *οὕτω δὲ*, aut delendum *δὲ* aut legendum *δὴ σκοπῶν* Rsk.

9) *γλιχόμενος ἀεὶ* C. — „si deleatur *πτωχὸς*, et versus existat et offensio tollatur, quam praebent *πτωχὸς* et *μαστιγ.* iuncta et v. *δοῦλος* opposita.

---

nitur sequenti inf. *καθῆσθαι*. Fortasse praestaret addere articulum *τὸ τοιαῦτα ὅπλα ἔχειν*; *ἢ* post *διαφέρειν*, quamquam minus est usitatum quam *τοῦ*, satis defenditur noto ex Platonis Phaedro exemplo p. 228 D. *ἔφη τὰ τοῦ ἐρῶντος διαφέρειν ἢ τὰ τοῦ μὴ.*

ἐπταβόειον cf. Il. VII. 266.

8) *προσέρχομαι* inseruit Reiske post *πολεμίων*; latet illud verbum in proximo *εἰσέρχομαι*; adamat auctor variare hunc in modum composita: *περιέρχῃ... <προσέρχομαι> εἰσέρχομαι* — Post *αὐτὸς* Blass. reposuit *ἰών*, post *οὕτω*, deleto *δὲ*. iam Reiske *δὴ σκοπῶν* adiciendum censuerat. Est sane aliquid addendum; praeferendum est *σκοπῶν*, sed, quia post *οὕτω* iterum sequitur *δὲ*, displicet partic. inserere post *οὕτω*: at ponendum est post *αὐτὸς*. Porro multo rectius verba disponi videntur si interpungas post *ναύτας*, ut nova dein incipiat sententia: *οὕτω δὴ* pro *δὲ* legendum.

9) *αἰσχρὸν ἡγησάμενος* sc. *κίνδυνον*, quod praecedit. Probanda fortasse Reiskii emendatio: *αἰσχρὸν <οὐδὲν> ἡγησάμενος.*

ὧν μέλλοιμι τοὺς πολεμίους κακόν τι δράσειν, ἐπεχείρουν ἄν, καὶ εἰ μηδεὶς ὁρᾷη. οὐ γὰρ δοκεῖν ὁ πολεμικὸς ἀλλὰ δρᾶν ἀεὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ καὶ ἐν νυκτὶ φιλεῖ τι. οὐδὲ ὅπλα ἐστί μοι τεταγμένα, ἐν οἷς προκαλοῦμαι τοὺς πολεμίους μάχεσθαι, ἀλλ' ὅντινα ἐθέλει τις τρόπον, καὶ πρὸς ἕνα καὶ πρὸς πολλοὺς ἕτοιμός εἰμ' ἀεί. οὐδ' ἡνίκ' <ἂν> κάμνω μαχόμενος, ὥσπερ σύ, τὰ ὅπλα ἑτέροις παραδίδωμι, ἀλλ' ὁπόταν ἀναπαύωνται οἱ πολέμιοι, τότε αὐτοῖς τῆς νυκτὸς ἐπιτίθεμαι, ἔχων τοιαῦτα ὅπλα ἃ ἐκείνους βλάψει μάλιστα. καὶ οὐδὲ νὺξ πώποτέ με ἀφείλετο, ὥσπερ σὲ πολλάκις μαχόμενον ἄσμενον πέπαυκεν· ἀλλ' ἡνίκα ἂν ῥέγχῃς σύ, τηνικαῦτα ἐγὼ σῴζω σέ, καὶ τοὺς πολεμίους ἀεὶ κακόν τι ποιῶ, ἔχων τὰ δουλοπρεπῆ ταῦτα ὅπλα καὶ τὰ ῥάκη καὶ τὰς μάστιγας, δι' ἃς σὺ ἀσφαλῶς καθεύδεις. 10)

Sequuntur certe versus: *οὐ γὰρ δοκεῖν ὁ πόλεμος ἀλλὰ δρᾶν ἀεὶ | κἂν ἡμέρᾳ κἂν νυκτὶ - ∪ - φιλεῖ.*" (cf. infra.) adnot. Blass. in editt.

ὧν, Rsk. cit. *δοκῶν — πόλεμος*, C.: *πολέμιος — προκαλοῦμαι τοῖς πολεμίοις* Bk., *τοὺς πολεμίους* Rsk. S. — *ἐθέλοι* vulg. —, mal. Blass. ed. II: *ἂν ἐθέλῃ* — „senarius sit *πρὸς ἕνα τε πρὸς πολλοὺς θ' ἕτοιμός εἰμ' ἀεί*" Blass. ed. II.

10) *ἡνίκ' <ἂν>* Blass. ed. II. — *βλάπτει* C. — *ὁπότ' ἂν*, Blass.: *ὁπόταν* — *καὶ οὐδὲ*, S.: *καὶ οὔτε*.

Quare Blass. offendatur voce *πτωχὸς* non intelligo. Vilissimis officiis, quae auctor h. l. enumerat Ulixem profecto esse functum memorat Homerus in Od. IV. vs. 244, 245, 248. De versu qui inesse putetur conferenda sunt quae infra (cap. III fin.) attuli.

Non opus est cum Reiskio pro partic. *ὢν* legere *δοκῶν*, quum luce clarius sit Ulixem in hisce egisse cum simulatione et fallaciis.

οὐ γὰρ δοκεῖν e. q. s., hic quoque praeeunte Blassio multi senarium agnoscunt; rectene, dubito. Sententia haecce esse videtur: in bello non speciem virtutis, sed facta, quae virtutem spectatam reddant, requirimus. Sed verba, quae in textu leguntur huic sanae, ut opinor, interpretationi non conveniunt, nam quid significant: *ὁ πόλεμος οὐ φιλεῖ δοκεῖν τι*? Absurdum hocce. C. ad corrigendum ansam dat exhibens *πολέμιος*, atqui reponamus *πολεμικὸς* bellator (sc. *ἀνήρ*). cf. Plat. Rep. VII, 522 E.

τοὺς πολεμίους. Accusativum restituit Reiske recte, ut videtur; etenim pendet a *προκαλοῦμαι*: primum hostes provoco, dein pugno.

10) *ἀφείλετο* sc. *τὰ ὅπλα* aut *τὸ*

11) Σὺ δ' ὅτι φέρων ἐκόμισας τὸν νεκρόν, ἀνδρεῖος οἴει εἶναι; ὃν εἰ μὴ ἠδύνω φέρειν, δύο ἄνδρες ἂν ἐφερέτην· κἄπειτα κἀκεῖνοι περὶ ἀρετῆς πως ἂν ἡμῖν ἠμφισβήτουν. κἀμοὶ μὲν ὁ αὐτὸς ἂν πρὸς αὐτοὺς ἦν λόγος· σὺ δὲ τί ἂν ἔλεγες ἀμφισβητῶν πρὸς αὐτούς; ἢ δυοῖν μὲν οὐκ ἂν φροντίσαις, ἑνὸς δ' ἂν αἰσχύνοιο ὁμολογῶν δειλότερος εἶναι; οὐκ οἶσθ' ὅτι
12) οὐ τοῦ νεκροῦ τοῖς Τρωσὶν ἀλλὰ τῶν ὅπλων ἔμελεν ὅπως λάβοιεν; τὸν μὲν γὰρ ἀποδώσειν ἔμελλον, τὰ δὲ ὅπλα ἀναθήσειν εἰς τὰ ἱερὰ τοῖς θεοῖς. τοὺς γὰρ νεκροὺς οὐ τοῖς οὐκ ἀναιρουμένοις αἰσχρόν, ἀλλὰ τοῖς μὴ ἀποδιδοῦσι θάπτειν· σύ μὲν οὖν τὰ ἕτοιμα ἐκόμισας· ἐγὼ δὲ τὰ ὀνειδιζόμενα ἀφειλόμην ἐκείνους.

11) ἴσως scripsit Blass.: πως (πῶς X.), scrips. iam Bk., Rsk. — τι ἂν mavult Blass. τι κἂν codd. — αἰσχύνοις M. N. — num ὁμολογεῖν? Blass. ed. I.
12) καὶ οὐκ οἶσθ' cf. §§ 6—13, sine interrogationis signo, Blass. ed. I. — ὅτι οὐ J.: ἐκ. — τὸν μὲν J.: τὰ μὲν. — ἔμελεν, X.: ἔμελλεν. ἀναιρουμένους X. sec. Lampr. (Blass. ed. II.)

μάχεσθαι (latet in μαχόμενον) aut τὸ σῴζειν σε Reiske adnotat. Mire sane dictum, sed liceatne hoc modo absolute ponere ἀφαιρεῖσθαι dubium videtur; non habeo autem, quod expleam aut restituam nisi ὑφείλετο.

δουλοπρεπῆ ταῦτα ὅπλα καὶ τὰ ῥάκη καὶ τὰς μάστιγας cf. Od. IV 11. de quibus infra agam.

11) ἴσως an πως scribamus parum refert.

δυοῖν μὲν.... explicat Reiske: tanti non facias, te videri inferiorem et imbelliorem esse duobus.

12) ὅτι οὐ τοῦ νεκροῦ... λάβοιεν, redarguit Ulixes h. l. ea, quae dixerat Aias 2: οὐ τοῦ νεκροῦ..ἔμελεν; de verborum ordine cf. Blass. ll.

τοὺς γὰρ νεκροὺς ... θάπτειν. — Sensus videtur esse: non tam turpe est corpora non sepeliri, quam non non reddi rogantibus, ut sepeliantur. Eodem redit Reiskii explicatio: οὐ γὰρ αἰσχρόν ἐστι τὸ κειμένους ἐᾶν τοὺς νεκροὺς, καὶ μὴ ἀναιρεῖσθαι πρὸς τὴν ταφὴν, ἀλλ' αἰσχρόν ἐστι τὸ μὴ ἀποδιδόναι αὐτοὺς τοῖς προσήκουσι πρὸς τὸ θάπτειν ἀπαιτοῦσι.

σὺ μὲν οὖν... sign: quod facile erat, tu sustulisti, ego autem intercepi τὰ ὀνειδιζόμενα i. e. ea, quae ipsorum Trojanorum pluris intererat conservare, quoniam ignaviae poterant accusari, si passi fuissent ea sibi eripi. - Utraque sententia mire et contorte dicta est, licet sentiamus, quid fere auctor voluerit. Attulit opem Reiske, demonstravit explicationibus, quid auctorem voluisse probabile sit, sed iure, opinor, ingenio suo, cui multum in hisce

Φθόνον δὲ καὶ ἀμαθίαν νοσεῖς, κακῶν ἐναντιώτατα αὐτοῖς· καὶ ὁ μέν σε ἐπιθυμεῖν ποιεῖ καλῶν, ἡ δὲ ἀποτρέπει. ἀνθρώπινον μὲν οὖν τι πέπονθας· διότι γὰρ ἰσχυρὸς εἶ, οἴει καὶ ἀνδρεῖος εἶναι, καὶ οὐκ οἶσθα ὅτι σοφίᾳ περὶ πόλεμον καὶ ἀνδρείᾳ οὐ ταὐτόν ἐστιν ἰσχῦσαι, ἀμαθία δὲ κακὸν μέγιστον τοῖς ἔχουσιν. οἶμαι δέ, ἄν ποτέ τις ἄρα σοφὸς ποιητὴς περὶ ἀρετῆς γένηται, ἐμὲ μὲν ποιήσει πολύτλαντα καὶ πολύμητιν καὶ πολυμήχανον καὶ πτολίπορθον καὶ μόνον τὴν Τροίαν ἑλόντα, σὲ δέ, ὡς ἐγῷμαι, τὴν φύσιν ἀπεικάζων τοῖς τε νωθέσιν ὄνοις καὶ βουσὶ τοῖς φορβάσιν, ἄλλοις παρέχουσι δεσμεύειν καὶ ζευγνύναι αὐτούς. 13) 14)

13) *κακὼ ἐναντιωτάτω* C. Rsk., Bk. *κακῶν ἐναντιώτατα* vulg. — *διότι γὰρ ἰσχυρὸς* C. *διότι ἰσχυρὸς εἶ* corr. N. *διότι γὰρ ἰσχυρὸς* J. M. X. b. *διὰ γὰρ τὸ εἶναι ἰσχυρὸς* vulg. — *οἴει, εἴη* J. M. — *καὶ* ante *οὐκ* add. C. Bk. *δὲ ὅτι* J.

14) *ποιήσῃ* J. M. N. — *πολύτλαν τε, πολύτλαντα* Bk. — *τοῖς τε, τε* om. C. — *ὄνοις* Blass. cf.: Il. XI, 558. — *τοῖς φορβάσι* J. M. N. *καὶ* C. *ταῖς* Ald. Steph. in margine Rsk. Blass.: cf. Il. XIII, 703. — *ὑπάρχουσι* Bk. *παρέχουσι* Rsk. Toupius (ad Suid. 3, p. 46), S. — *αὐτοὺς* Bk. *αὐτοὺς* Rsk. S.

---

declamationibus debemus, abuti noluit in corrigendis hisce verbis. Idcirco mihi quoque manus abstinere liceat!

13) *κακῶν ἐναντιώτατα αὐτοῖς* ita plerique editores scribunt, sign: mala, quae inter mala maxime sunt opposita; haud ineleganter Reiske proposuit dualem: *κακὼ ἐναντιωτάτω*.

διότι γὰρ ἰσχυρὸς Blass. habet, addo ex N. *εἶ*; *διὰ τὸ γὰρ εἶναι ἰσχ.* ut scribunt Reiske et Stephanus, interpretis esse mihi videtur.

14) *πολυτλάντα* et quae sequuntur epitheta nota ex Homero; omittitur *πολύτροπος*, de quo adjectivo Antisthenes singillatim egit ad Od. I, 1.

σὲ δὲ breviter iterum dicta pro *ποιήσει* sc. *νωθρὸν καὶ βραδύν*, quod iam explevit Reiske, nectamen in textum recepit.

De comparationibus Homericis infra agendum est. cf. Blass. ll.

ταῖς fortasse praestat ante *φορβάσιν, ἄλλοις* sc. *ἀνθρώποις*.

παρέχουσι in hoc sensu tritum verbum reposuit Reiske cf. v. c. Arist. Nub. 440. Plat. Phaedr. p. 228.

Primum nunc stilum examinabimus. Qui semel tantum perlegerit tam Aiacis quam Ulixis orationem, eum, opinor, advertet artificiosa dicendi forma, qua ubique fere sententiae exponuntur, quum simul mirabitur quaesitam verborum copulationem ac collocationem. Quam crebra enim eiusdem verbi sententiaeque repetitio, quot antitheses, agnominationes, parisa, homoioteleuta, quoties sententiae, paribus partibus constantes, numeris poeticis ita adstrictae sunt, ut quasi integri senarii aut versuum partes in orationem inciderint.

Affectatae huius artis vim ne optimi quidem oratores, historici, ceterive huius aetatis scriptores praestantissimi omnino effugerunt; sed apud nullos frequentiorem invenit usum, magisve expolita ac perfecta est quam apud eos rhetores, qui in fictis quibusdam et a semet ipsis excogitatis argumentis artem dicendi exercitarunt, viam secuti, quam iam ipse Gorgias praeierat. Quapropter, si declamationum, quae nos detinent, originem constituere volumus, multum valet Gorgianarum figurarum in iis investigatio; antequam enim quaerere possum, quis fuerit auctor, primum attinet quaerere, quaenam insint vestigia artis Gorgianae.

Tribuuntur Aias et Ulixes a Diogene Laertio [1]) Antistheni; quomodo nunc decernemus, num recte hoc fecerit Diogenes? Statimne ex argumento efficiet lector quispiam

---

[1]) Diog. Laert. VI. 15. — de quo antiqui auctoris testimonio conferendus est Blassius in praef. ad Antiphontis editionem I. p. XVII.

Diogenem verum indicasse? Dubito, nam post repetitas tandem lectiones Cynicae originis indicia emergunt.

Sed externa, quae dicitur forma, ratio dicendi, stilus denique, certa iam primo obtutu via nos ducunt.

Etenim animadvertimus in praecedentibus, quosnam fructus Antisthenes a magistro perceperit, enumeravimus deinceps permulta huius imitationis exempla in fragmentis, ostendimus, quonam consilio Cynicus propriam adhibuerit dicendi rationem, declarat ipse Diogenes, in rhetorico dicendi genere Antisthenem fuisse versatissimum, ut apparet ex Veritate et Protrepticis — quid plura? Nonne igitur plurimum valet ad confirmandum Diogenis iudicium certa Gorgianorum artificiorum in his declamationibus investigatio?

Concedo in universum valde ambiguum, ne dicam difficillimum esse e solo genere dicendi discernere, sitne scriptum germanum aliquod necne, neque dijudicari, quisnam fuerit auctor hac sola ratione posse, sed ni fallor hic ratio eiusmodi locum habet. Hanc ob causam pariter ac in fragmentis hic quoque investigationem stili instituamus, quod maiore iure me facturum puto, quia ante me viri docti ad proprietates quasdam stili quidem attenderunt, nullus autem eorum, quantum video data opera sedulam huic rei curam impendit.

Primus Deycks, ni fallor, fuit qui monuit Antisthenicam dicendi rationem in declamationibus nostris agnosci, dein Mueller, Blass, Winckelmann idem observarunt;[1]) hi omnes ad rem eam attenderunt tanquam si semel monitus quivis assensurus esset. Est igitur quod eandem rem accuratiori inquisitioni submittamus, nam Gorgianae

---

[1]) Deycks ll. p. 13 sq. — Wincklm ll. p. 40: „Propter Prodici et Gorgiae imitationem has duas declamationes genuinas habeo" — sed quibus in rebus haec imitatio cerneretur, non exposuit. — Mueller: p. 31 — Blass ll. p. 343: Von Antithesen und sonstigen gorgianischen Figuren erscheint gerade soviel, wie einem ehemaligen Schüler des Gorgias nothwendig ankleben müsste.

cf. dein Weber ll. p. 227 — Duemmler Ant. p. 23 — Joel ll. p. 354 nt. 1.

artis non adest eiusmodi tantum imitatio, ut hic illic agnoscatur, sed vestigia adeo sunt impressa, ut haud semel aut figurarum cumulus aut verborum delectus aut sententiarum dithyrambica [1]) forma nos in memoriam revocent ipsius Gorgiae Helenam et Palamedem.

De figurarum natura ac forma iam in superioribus satis fuse dixi: nudus inde earum conspectus sufficiat ei, qui reputaverit nil quaeri nisi verborum examen, id vero non elegantia quadam exornatum sed accurata investigatione institutum.

ἀντιθέσεις:

Ut frequentissima oppositio *λόγων* et *ἔργων* est, ita quoque plus semel invenitur oppositio *λάθρᾳ* et *φανερῶς*.

Ai. 1: *σιωπᾶν — λέγοντι*. 7: *ἢ μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ*.

9: *οὐχ ἑκὼν ἀλλ' ἄκων*.

Od. 1: *πρός σε μόνον — πρὸς τοὺς ἄλλους ἅπαντας* — id. *ζῶντος — τεθνεῶτος*.

2: *κατορθώσαιμι — ἐσφάλην*, id. *τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν* (saepe recurrit.)

9: *οὐ δοκεῖν — ἀλλὰ δρᾶν*. 11: *δυοῖν — ἑνός*. 12: *οὐ τοῖς οὐκ ἀναιρουμένοις αἰσχρὸν — ἀλλὰ τοῖς μὴ ἀποδιδοῦσι*. — 13: *ἐπιθυμεῖν ποιεῖ — ἀποτρέπει*.

πάρισα invenias:

Ai. 3: *ἐγὼ — ἵν' ἀποδῶ .. οὗτος δὲ ἵν' ἀποδῶται*.

5: *οὐκ ἂν ἀνασχοίμην κακῶς ἀκούων .. οὐδὲ γ' ἂν κακῶς πάσχων*.

Od. 4: *καλόν ἦν ἑλεῖν τὸ Ἴλιον .. καλὸν γε καὶ τὸ εὑρεῖν τὸ τούτου αἴτιον*.

6: *οὔθ' ὑφ' αὑτοῦ (χρὴ) .. οὔθ' ὑφ' ἑτέρου .. οὐδ' ὑπὸ τῶν πολεμίων*.

9: *καὶ ἐν ἡμέρᾳ .. καὶ ἐν νυκτί — καὶ πρὸς ἕνα .. καὶ πρὸς πολλούς*.

---

[1]) Contemsit Aristoteles eos, qui elocutionem poeticam in orationibus probari existimarent, in quorum numero Gorgias fuit. cf. Rhet. III, 2: quem locum descripsi in Radermacheri de declamationibus opinione exploranda p. 106.

10: ἔχων τὰ .. ὅπλα .. καὶ τὰ ῥάκη .. καὶ τὰς μάστιγας.
12: τὸν μὲν γὰρ ἀποδώσειν .. τὰ δὲ ὅπλα ἀναθήσειν.
οὐ τοῖς οὐκ ἀναιρουμένοις .. ἀλλὰ τοῖς μὴ ἀποδιδοῦσιν — σὺ μὲν τὰ ἕτοιμα .. ἐγὼ δὲ τὰ ὀνειδιζόμενα ..
παρονομασίαι, ὁμοιοτέλευτα variique verborum lusus inveniuntur:
Ai. 1: δικάζετε .. δίκη δικαστῶν — 3 ἀποδῶ .. ἀποδῶται — δειλὸς .. δειλίαν.
5: (διαφορὰ) .. διέφερε .. διαφέρει — 7 λέγω .. λόγους .. λόγῳ .. ἀντιλέγειν — ἀθρεῖτε καὶ σκοπεῖτε — 8: λόγος .. λέγων .. λόγοι .. λέγονται .. λέγετε .. λεγόμενα.
δικάζουσι .. δίκη .. δικάσωσιν.
Od. 1: λόγος .. λέγων .. ἔλεγον — ἅπαντας .. ἅπαντες — ὑμεῖς .. ὑμᾶς .. ὑμεῖς .. ὑμῶν .. ὑμῶν — 2: κινδύνων .. κινδύνοις .. ἐκινδύνευον.
μαχοίμεθα .. ἀφίγμεθα — ἀπολάβοιμεν .. ἕλοιμεν.
4 ἑλεῖν .. εὑρεῖν.
ἕλοιμεν .. ἀνάλωτον .. ἁλῶναι .. ἑλεῖν. — 7 ἄτρωτα .. ἄτρωτον.
8: ὅπλα (ter) .. ἄοπλος .. ὅπλοις — τεῖχος quinquies — πολεμίων (ter).
προσέλθοι .. περιέρχῃ .. εἰσέρχομαι — σκοποῦσιν .. σώσουσιν
9: μέλλοιμι .. ἔμελλον .. μέλλοιμι — δράσειν (bis) .. δρᾶν.
11: φέρων .. φέρειν .. ἐφερέτην — ἠμφισβήτουν .. ἀμφισβητῶν.
13: ἰσχυρός .. ἰσχῦσαι — ἀνδρεῖος .. ἀνδρείᾳ — 14: πολύτλαντα .. πολύμητιν .. πολυμήχανον.

Memorabilis etiam hic illic verborum ordo est, quippe quae auctor ita interdum collocaverit, ut verbi causa verbum, quod habet maximam vim, in fine sententiae ponatur;[1]) sic etiam nonnunquam sedulo separantur verba,

[1]) Demetrius de elocut. § 249: ποιητικὸν δὲ δεινότητός ἐστιν καὶ τὸ ἐπὶ τέλει τιθέναι τὸ δεινότατον· περιλαμβανόμενον γὰρ ἐν μέσῳ ἀμβλύνεται, καθάπερ τὸ Ἀντισθένους· σχεδὸν γὰρ ὀδυνήσει ἀνθρωπος ἐκ φρυγάνων ἀναστάς. εἰ γὰρ μετασυνθείη οὕτω τις αὐτό, σχεδὸν γὰρ

quae ceteroquin iungi solent. Talia Gorgiam quoque adhibuisse artificia novimus; nec mirum, periodi enim et figurae in artificiosa oratione quaesitam sententarium structuram efficiunt. Consulto praeterea auctor diligenti compositione et collocatione verbis suis pondus dare studet. Protulit iam Blassius v. cl. exempla haecce:

Ai. 7: *ἀλλ'ἢ μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ* — inverso ordine dixit auctor pro: *σιωπῇ δουλεύειν.* [1])

Od. 1: *καὶ ζῶντος ἂν ἔλεγον Ἀχιλλέως* — divellitur *ζῶντος* ab *Ἀχιλλέως.* [2])

Od. 2: *πλέον ἐγίγνετο οὐδὲν* — interponitur *ἐγίγνετο.* [2])

Od. 12: *οὐκ οἶσθ'ὅτι οὐ τοῦ νεκροῦ τοῖς Τρωσὶν ἀλλὰ τῶν ὅπλων ἔμελεν ὅπως λάβοιεν* in qua structura maximam vim habere verba in fine posita: *ὅπως λάβοιεν* quilibet facile sentiet — idem valet in Od. 12. — *τοὺς γὰρ νεκροὺς οὐ τοῖς οὐκ ἀναιρουμένοις αἰσχρόν, ἀλλὰ τοῖς μὴ ἀποδίδουσι θάπτειν.* [3])

Hisce exemplis sequentia adjungere velim:

Ai. 7: *γνώσεσθε ὅτι οὐδεμίαν ἔχει λόγος πρὸς ἔργον ἰσχύν* — *οὐδεμίαν* longo intervallo ab *ἰσχὺν* separatur, quum insuper euphoniae fortasse causa inter *λόγος* et *ἰσχὺν* inseratur *πρὸς ἔργον.*

Od. 7: *καὶ δεδιότα τὸν θάνατον μάλιστα* — *μάλιστα* maxime (timentem mortem) consulto postremum locum obtinet.

Od. 9: *οὐ γὰρ δοκεῖν ὁ πολεμικὸς ἀλλὰ δρᾶν ἀεὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ καὶ ἐν νυκτὶ φιλεῖ τι* — contra vulgarem usum h. l. *τι* posuit auctor in sententiae fine.

Od. 12: *τὰ δὲ ὅπλα ἀναθήσειν εἰς τὰ ἱερὰ τοῖς θεοῖς* — com-

ἐκ φρυγάνων ἀναστὰς ἄνθρωπος ὀδυνήσει, καίτοι ταὐτὸ εἰπών, οὐ ταὐτὸν ἔτι νομισθήσεται λέγειν. — cf. Blass. ll. p. 342.

[1]) „Und so finden wir auch hier eine solche gewählte Wortstellung — weil Aias hier den redefertigen Odysseus verspottet, der alsdann gar nicht reden darf." — *χιασμός* quoque hac collocatione oritur.

[2]) „Mit Trennung des Zusammengehörigen." — Talis verborum ordo saepius apud poetas invenitur.

[3]) „Mit energischen Zusammenschliessung des ganzen Satzes."

positio quaesita agnoscitur eo, quod verba *εἰς τὰ ἱερὰ* mediae sententiae interponuntur.

Quod ad stilum in universum attinet, plerumque sententiae earumque singulae partes dissolutae sunt ac parum cohaerent, ita ut singula membra vocula *καὶ* conjungantur, dum identidem post gravem pausam nova sententiarum series incipit.[1]) Advertit quoque lectorem, quod tam saepe idem verbum repetitur, eademque sententia similiter prorsus iterata recurrit.[2])

Statim hic addam exempla quibus declamationum scriptor sectatorem Prodici se praestat; Prodici enim curam in distinguendis verborum potestatibus accurateque synonymis discernendis, quantopere Antistheni fuerit grata, supra ostendimus.

Ai. 4: *κρίνειν .. δικάσειν — κρίνειν .. διαγνῶναι —*
Ai. 5: *δράσειε .. πρᾶξαι —*
Ai. 6: *ποιεῖν .. πέπρακται —*
Ai. 7: *κριταῖς .. δικασταῖς — ἀθρεῖτε .. σκοπεῖτε —*
Ai. 8: *οὐ κριταὶ .. ἀλλὰ δοξασταί —*
Ai. 9: *διαγιγνώσκειν .. διαδοξάζειν —*
Od. 14: *δεσμεύειν .. ζευγνύναι —*

Ὅπλων κρίσις certamen armorum notissimum saepissime tractatum est tam a Graecis quam a Latinis poetis. Omnium primus Homerus certamen illud commemoravit Od. XI vs. 542—565, ubi Ulixes in Orco animam Aiacis adit, solam iratamque post indignum iudicium quo Trojani arma Achillis concesserunt Ulixi; blandis nunc verbis Aiacis superbiam mitigare conatur, ut post mortem tandem iram deponat — frustra facit verba, Aiax nihil respondet.

Certamen illud inde ortum, quod et Aiax et Ulixes praemium servati Achillis corporis propositum sibi vindicabant,

---

[1]) v. c. Ai. 2—4—5. Od. 6—11—12—13. cf. Blass. Il. p. 343.

[2]) cf. Od. 3: *ἀποκαλεῖς ἱερόσυλον.* 9: *μέλλοιμι τοὺς πολεμίους κακόν τι δράσειν.* Ai. 4: *περὶ ἀρετῆς κρίνειν ἐπέτρεψαν* — cet.

multi ut dixi, auctores [1]) descripserunt, summam quidem ex Homero petiverunt, sed varie in rem suam singuli mutaverunt aut copiose adornaverunt. Sic, ut exemplum mutationis quoddam afferam, quum Homerus vs. 545 filios Trojanorum et Minervam iudices esse voluisset ad arma discernenda, Lesches [2]) in parva Iliade Trojanas virgines constituit iudices, Pindarus [3]) Danaos, Sophocles [4]) Atridas fuisse iudices dixit, Aeschylus [5]) Nereides. Itidem in aliis quoque inter se discrepant auctores.

Orationes, quibus a Diogene Laertio nomen impositum erat Antisthenis, sunt, ut vidimus, declamationes ad imitationem fori, e genere iudiciali fictae; hanc formam non obstare genuitati [6]) iam supra ostendimus, nam Antisthenes sophistarum aequalis ac diligens discipulus ficta accusationis ac defensionis specimina profecto a magistris illis desumere potuit, [7]) inde nequaquam Quintiliani de declamationibus eiusmodi nimis certo iudicio fides habenda est.

Forma ea iudicialis, quo referenda sit, nunc iterum

---

[1]) Arctinus: Αἰθιοπίς — Lesches: Ἰλιὰς μικρά — Aeschylus: Ὅπλων κρίσις — Pacuvius et Attius: Armorum iudicium — Quintus Smyrnaeus: Posthomerica V vs. 1—332. — M. Terent. Varro: Armorum iudicium et Pomponius Secundus id. (cf. Riese p. 104) Ovidius: Metamorphoses XIII vs. 1—384. (Multa sumsit a M. Porcio Latrone, quī et ipse de eodem argumento scripserat.) cf. Rosch. Lex. i. voc. Aias — Odysseus. et O. Jahnii editionem Metam. Ovidii. — Hermann. Opusc VII. p. 362 sq.

[2]) cf. Schol. ad Arist. Equit. 1065.

[3]) Nem. VIII. 45.

[4]) In Aiace.

[5]) Aeschylum eas iudices esse voluisse apparet e schol. ad Arist. Acharn. 848, 882. Herm. Opusc. VII p. 363.

[6]) cf. quae attuli contra Muellerum in primo capite.

[7]) cf. Gorgiae Palamedem, Helenam — Alcidamantis Ulixem cet. Isocratis tempore Polycrates laudem in Busiridem scripsit; — copiose disputat de fictis eiusmodi oratiunculis Blass in praef. ad Ant. p. XV. sq. ed. I.

Keil: Hermes XIX p. 649 ex Arist. Rhet. III. 14 concludit Alexandri orationem eadem ratione compositam fuisse ac Gorg. Palám.

uberius paulo explicare liceat. Si cogitatione nostra certamen, ab Homero paucis tantum verbis tactum, complectimur, rem revera ita animo nostro informamus, ut Aias et Ulixes ante tribunal prodeant — id quod iam Hermannus dixit: „Caussam suam coram iudicibus et Ulixem et Aiacem orasse, etiamsi nullum eius rei vestigium exstaret facile quivis concederet."

Habebat, opinor, is qui declamationes: „Aiacem" atque „Ulixem" composuit, in ea re, quod verum iudicium coram iudicibus orationibus habitis finxit, ipsum Homerum auctorem. Nam etiamsi quis versui Od. XI 547, [1]) a multis viris doctis Aristarcho assentientibus damnato, parum hac in re fidem habeat, nullo modo de iudicio habito dubitari potest, si attendimus ad vs. 545: *τὴν* (i. e. *νίκην*) *μὲν ἐγὼ νίκησα δικαζόμενος παρὰ νηυσί*, e quo luculenter apparet Ulixem iudicio contendentem causam suam vicisse adversus Aiacem. Dein, quod fere supervacaneum est dicere, si revera apud Homerum ad certamen vi et armis solis depugnandum venisset, poeta ipse sibi non constitisset: quo tandem modo unquam Ulixes, quamvis fortissimus, Aiacem post Achillem vi ac manu secundum superasset? Ex ipsa igitur ratione, qua Homerus casus utriusque herois descripserat, eventumque certaminis, litigiosi quidem sed minime cruenti, tradiderat, sequitur, ut orationum ab utroque habitarum forma iudicialis, qua usus est auctor, non tantum probanda sit, sed omnino praeferenda. Et si iam nunc suspicari licet, quod in sequentibus approbare conabimur, auctorem illum, qui Aiaci et Ulixi orationes in armorum certamine habendas conscripsit, fuisse Antisthenem, multa iam statim adsunt indicia, quibus nisus suspicioni illi patrocinari possum.

Antisthenes in Homericis versatissimus procul omni dubio antiquis illis heroibus orationes componere potuit — Ulixis potissimum moribus et factis enarrandis

---

[1]) *παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη — ἀθετεῖ Ἀρίσταρχος.* — cf. Christ. Ann. Philol. 1881, p. 444. Kirchhoff: Hom. Odyss. p. 231.

et considerandis summam navavit operam, Ulixis ingenio [1]) ac peritia superatum esse robur et rudes Aiacis vires docuit, Achillem [2]) quoque, de cuius armis litigatur, sibi curae fuisse saepius ostendit. Porro argumentatione, qua utrumque heroem ad praemium obtinendum utentem facti, prorsus fere ad originem Homericam redit; pauca quidem e traditione posthomerica desumuntur, sed plerumque facta ab utraque parte vicissim enumerata e fonte illo repetenda sunt. Frequenter, si potest, sententiae ita exprimuntur, ut ad philosophemata proferenda locus detur. Nova denuo ratione Antisthenes Homericorum carminum usum adhibere videtur: prodeunt in scaenam duo principes, quorum utriusque indoles, utriusque mores et facta cuique notissima sunt et morali philosopho vel utilissima exempla. Ubi tandem philosophus ille insignius artium discrimen aut efficaciorem morum varietatem invenire potuit?

Sed iam satis — transeamus ad orationes ipsas considerandas.

Prodit Aiax, queritur quod iudicium de lite sua delatum sit iis iudicibus, qui rebus ipsis non interfuerint — boni autem Atridae absunt. Nam apud iudices *τοὺς οὐδὲν εἰδότας* magnificentia verborum plus valet quam virtus spectata. Sustuli, inquit, corpus Achillis, arma autem iste, cum sciret Trojanos non tam arma quam corpus concupivisse. Corpus enim, Hectoris mortem ulturi, violassent Trojani; arma contra celassent, Palladii furti recordati.

---

[1]) Iam semel Ulixes *τὴν σύνεσιν* adversus *τὴν ἀνδρείαν* (Achillis!) defenderat, ut testatur schol. Od. VIII, vs. 75—82. — cf. Preller, Gr. Myth. II, p. 309.

[2]) cf. Winckelm. fragm. p. 16, 4. — p. 18, 6. — p. 24, 1 (schol. ad Od. I, 1), ubi Achilles opponitur Ulixi, quem ut semper hic quoque defendit Antisthenes. — cf. Joel II. p. 388 nt. 1, p. 404. Duemml. Ant. p. 31.

Quae arma ego amicis reddam, iste autem vendet; quis enim ignavus armis insignibus uteretur? (1—3)

Indignatur quod absint ipsi, quorum prae ceteris munus sit de virtute certamen decernere. Eam autem absentiam arguere monet quam parum digni sint imperio Atridae. Quis enim vere rex iudicium de tam gravi re ignaris relinquat?

Vinci, inquit, a pari adversario non pudet, in quibus autem Ulixes mihi par? Ego nihil occulte facio, bona fama fructus — quid iste? Insidiose, modo lucrum proponatur, omnia subit, servi etiam partes agit, sacrilegio noctu perpetrato post gloriatur (4—6).

Postremum judices admonet, ne verba potius quam facta spectent, minatur etiam, si secus iudicaverint, poenas imminere; de se suisque διαγιγνώσκειν eos iubet, διαδοξάζειν vetat. (7—9)

Post hanc orationem tam mordacem quam brevem Ulixes loqui coepit, ad omnes conversus, cuius facundia ad lacessendum adversarium imprimis apta est.

Palam factis suis gloriatur, solum se omnium saluti consuluisse profitetur: sponte mea, inquit, pericula subii. Palladii furtum exponit ad Trojam capiundam fuisse necessarium; explicat non semet ipsum sed Alexandrum sacrilegum fuisse qui id primus rapuerit. Trojae perniciem, exclamat, omnes vos optavistis; qui invenit, quomodo hoc eveniret, eum contemnitis. Quem errorem tamen nec tibi, Aiax, nec reliquis vitio vertam, insani quum sitis. (1—5).

Praedicat sortem Aiaci imminentem, virtutis prorsus expertem eum vocat, cum apri rabie efferatam eius iram comparat, pueriliter de bona fama sollicitum eum deridet. Verum, inquit, non fortis, sed vel ignavissimus est, qui ut tu, invulnerabilis armis quasi muro obtectus est. (6—7).

Quid ego? Inermis ad moenia aggredior, alieno auxilio destitutus omnia ipse suscipio, omnibus provideo uti navigantibus gubernator ita ego militibus. Dum hostibus nocere possim, nihil humile puto nec servitium nec mendicitatem, si res postulat, ad omnia paratus. Ne somno quidem opus est mihi, nam dum tu stertis, ego te tueor. (8—10).

Objicit dein Aiaci, qui propter servatum a se corpus Achillis tantopere se iactat, duos nimirum viros tale onus deportasse posse, Trojanos autem arma non corpus potissimum concupivisse. (11—12).

Denique, inquit, invidia et imperitia laboras; vires tantum habes rudes, inde te fortem existumas, sed nimium distat in bello fortis militis alacris prudentia ab ea quam tu iactas ferocia; — merito itaque idem sapiens poeta qui merita mea extollet, te asinis vel bubus similem dicet.

Aias heros ab Achille secundus virtute ac indole nobilis prae omnibus est ἰσχυρός; prudens quoque et facundus satis, si res postulat, concise tamen loquitur [1]). Hanc indolem Aiacis ab Homero traditam auctor declamationum servavit in universum; ingenio autem indulgens easque rationes secutus, quas poscebant placita moralia, prae ceteris eos Aiacis mores notavit, quos proponere utile videbatur philosopho. Inde fortitudo, superbia (nobilitas), gloriae cupido, pertinacia, odium adversus eos, qui honorem suum laeserunt, ut fecit Ulixes, praecipue in hoc Aiace cognoscuntur. Ipsa virium conscientia fretus, quietus animi, integer ac honestus insidias et dolos aspernatur, qui struxit, eum implacabili odio persequitur.

Ulixes contra ad omnia vel humilissima paratus, dummodo consilia sua consequatur, omnium artium peritus prudenter semper perficit, quod in animo habet, sapientiae ac sollertiae unicum dat exemplum [2]).

Nectamen pravae erat indolis apud Homerum, nec semper prudentia eius fallacibus artibus sustentabatur. Sed, quantum in utriusque persona postera poetarum aetas mutaverit, non opus est dicere; facile enim quivis multa huius mutationis exempla afferre potest, hic autem unum illud insigne admodum commemoretur, poetarum opera esse factum ut

[1]) cf. praecipue: Il. VII, 288, 196. — Id. I, 144; II, 404; IX, 624—642; XV, 502—513, 561 sq,

[2]) cf. Preller Il. II, p. 285.

posteri τὴν ὕβριν Aiaci potissimum attribuerent, Ulixem contra fraudi dolosae praecipue obnoxium haberent! [1])

Sed pergamus ostendere, quosnam mores auctor declamationum in Ulixe, moralibus placitis obsecutus, prae ceteris laudaverit!

Semel atque iterum Ulixes monet iudices se ultro communi saluti consulentem pericula subiisse, magnam in iis experientiam ostendisse, semper veram agitandi normam invenisse et secutum esse. Ut iam apud Homerum ob virtutem et audaciam Minervae carus erat, prae omnibus facundus, τῇ φρονήσει ubique obsecutus, sic noster quoque auctor eum amare videtur, quod est ἀνδρεῖος et σοφὸς, quin etiam πολύτροπον eum vocat, quod omnes artes amplectitur, quibus in vita ac bello opus est. [2])

Si igitur sedulo orationes consideramus easque dijudicamus ex iis sententiis, quae utrique oratori subjiciuntur, facile opinor quivis sentiet tam Aiacis quam Ulixis personam aptissimam esse ad morales quasdam cogitationes exponendas; satis fideliter utriusque herois imaginem qualem dedisset Homerus esse servatam, sed philosophico colore quodam esse imbutam utramque declamationem. Praeterea, si utriusque principis orationem comparamus, apparet auctorem Ulixi praecipue favisse, quasi opus esset defendere et explicare eius mores et facta, adhuc parum intellecta; eius rationem agitandi et perficiendi, auctor probare studet et extollere adversus acta et praeclaras res, quibus Aiax palam omnium laudem nanctus esset — Aiax post Achillem omnium fortissimus a fastigio dejicitur,

---

[1]) In omnibus hisce consultandus est Roscher voc. Aiax, Odysseus.

[2]) cf. Joel. p. 542 sq. — Ant. Od. 9: ἀλλ'ὅντινα ἐθέλει τις τρόπον, καὶ πρὸς ἕνα καὶ πρὸς πολλοὺς ἕτοιμός εἰμ'ἀεί.... schol. ad Od. I, 1, fr. p. 25, 43. — Weber, p. 228: Ulixes genuinus sophista est, non solum propterea, quod totius παιδείας sive cultus humani scientiam unus per se cognitam tenet, sed etiam, ut Duemmler ll., p. 23 recte animadvertit „rhetorico studio, cuius Antisthenes e sophistarum institutione aestimationem magnam semper retinuit, exstitit patronus." Infra de hisce copiosius agam.

Ulixis merita enumerantur et laudantur. Simul auctor id consequi videtur, ut praecipue exempla aut turpium aut bonorum honestorumque proponat. Verum si iam primum legentes declamatiunculas vix potest, quin nobis persuadeamus a philosophia, quae moralis dicitur, minime alienum fuisse auctorem, ad Cynicam sectam praesertimque Antisthenem tantum non digito viam monstrat iterata lectio. Ubivis enim apparet Cynica disserendi ac cogitandi ratio. Age, videamus!

ἰσχὺς [1]), qua gloriatur Aias, Antisthenem semel iterumque advertit, quam rationem habeat cum ἀνδρείᾳ is exposuit, τῇ φρονήσει saepius opposuit. Citentur Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ ἰσχύος aut Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος, describitur Alcibiades (Athen. XII. p. 534 C.) ἰσχυρὸς, ἀνδρώδης, τολμηρός at simul (quod non est negligendum) ἀπαίδευτος. Sed cave putes Antisthenem contemnere omnem ἰσχὺν qualiscunque est. Tanquam ludens in ipso roboris nomine praedicat τὴν διὰ τῶν ἔργων ἀπόδειξιν ἰσχυροτέραν πάσης τῆς διὰ λόγων ἀντιλογίας (schol. ad Aristot. p. 22 ed. Brandis), virtutem nihil indigere ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος. Ecce laudat et extollit τὴν τοῦ νοῦ ἰσχύν: Consensum fratrum παντὸς τείχους ἰσχυρότερον εἶναι; sic in nostra declamatiuncula consulto inter se opponuntur vis animi ac robur corporis Od. 13: διότι γὰρ ἰσχυρὸς εἶ, οἴει καὶ ἀνδρεῖος εἶναι, καὶ οὐκ οἶσθα ὅτι σοφίᾳ περὶ πόλεμον καὶ ἀνδρείᾳ οὐ ταὐτόν ἐστιν ἰσχῦσαι, ἀμαθία δὲ κακὸν μέγιστον τοῖς ἔχουσιν.

ἰσχὺς Aiaci fons τῆς ἀνδρείας videtur — quid contra Ulixi?

Illi tribuit summam sapientiae laudem auctor, illius ingenium ita extollit, ut Aiacis persona splendore praedita prorsus obscuretur. Etenim Aias vir nobilis, fortis, non iure modo arma sibi postulat, quippe qui reliquos omnes post Achillis mortem superet virtute, sed indignissime

---

[1]) cf, Joel ll., p. 361, 362, 363 nt. 1. — Winckelm. fragm. p. 35, 4; p. 47, 6; p. 61, 25.

quoque ferebat Ulixem imprimis odiosum, callidum, lingua quam manu validiorem secum contendere. [1])

Aptam huc analogiam afferre liceat! Nota est fabula de Palamedis et Ulixis odiis et a posthomericis, qui vocantur, satis celebrata. Palamedes legitimo iudicio capitis damnatus esse fertur, quod in eius tentorio literae Priami cum magna pecunia, proditionis mercede, inventae essent, quas ipso Palamede nescio et insonte Ulixes ibi abscondendas curaverat. Palamedes igitur in proditionis suspicionem adductus dolis et fraudibus Ulixis cecidit, quia olim Ulixem, ne in bellum Trojanum proficisci deberet, mala fraude insanum se simulantem, palam doli convicit. [2])

Palamedem inde inter tragicos [3]) et philosophos [4]) multos invenisse defensores non est quod miremur: facile enim quivis sentiet manifestam Ulixis fraudem ab omnibus contemptam, Palamedis probitatem et *σοφίαν* laudatam esse. Idem voluisse iam Gorgiam novimus, qui elegantissimam [5]) in Palamedis honorem orationem composuit.

Auctor, qui orationes in armorum certamine habendas conscripsit laborem multo difficiliorem suscepit. Adversus Aiacem, quem Plato etiam pariter ac Palamedem iniquo iudicio Ulixi esse postpositum contendit, patrocinari studet

---

[1]) Ovidius quoque hunc sensum Aiacis personae subjicit per totam orationem.

[2]) Sic paucis hanc historiam exponunt Heyne et Forbiger ad Verg. Aen. II, 81.

[3]) Ita iam *ἐν τοῖς Κυπρίοις* rem repraesentari probabile est. — cf. Eurip. Palam. fr. 591: (Philostr. Heroic., p. 313. 13) *ὡς σοφώτερόν τε καὶ ἀνδρειότερον ἑαυτοῦ τὸν Παλαμήδην ὁ Ὀδυσσεὺς ἀπέκτεινεν — ὅθεν καὶ τὸν θρῆνον τὸν παρ' Εὐριπίδῃ: ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί, τὰν οὐδέν' ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν.*

[4]) Plato Apol., p. 41: *ἐντύχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν.* — Xen. Mem. IV, 2, 33: *Τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν, ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται.*

cf. Joel ll. p. 417 sq.

[5]) cf. Reiskium ll. praef. „ut in archetypis eloquentiae graecae forensis habeatur."

Ulixi, partes quas ubique agebat iste, tuetur, fraudulentiam apud omnes famosam singulari ratione excusat et defendit.

Facilius explicatu patrocinium illud fit, si denuo Cynicam disserendi et ratiocinandi rationem Ulixi ab auctore subjectam respicimus. Quis enim inter principes apud Homerum aptius ostendit, quid per *σοφίαν* et *φρόνησιν* effici possit, quis iuxta Herculem melius demonstrat, quid animus laborum patiens in vita valeat quam Ulixes? Quis clarius confirmat *τὸν σόφον* esse *καὶ ἀγαθόν* [1]), contra *τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι*? Quis felicius peregit, quidquid suscepit, id assecutus, quod consilium commendabat prudentia sola ac peritia ductus? Nonne denique, ut de reliquis taceam, novimus ipsum Antisthenem ita interpretatum esse *τὸ* Ulixis *πολύτροπον*, ut varie eum verba auditorum ingeniis accommodare posse censeret?

Talem principem Antistheni carissimum fuisse nemo dubitabit, libenter Cynicum eum veluti exemplum protulisse satis confirmant quattuor scripta, quibus ingenium eius, mores factaque descripsisse videtur.

Indoles igitur tam Aiacis quam Ulixis, principia, quae uterque sequitur, causae, quas uterque offert ad Achillis arma obtinenda coram iudice, cuivis opinor, persuadere possunt nihil obstare, quominus orationes ab eo auctore conscriptas esse putemus, cui Diogenes eas attribuit.

Sed de factis moribusque satis dictum sit, nunc quae oratiunculae ipsae de nostra quaestione, sintne Antistheni orationes vindicandae, doceant videamus; proferam primum in eam rem sententias ac iudicia, quae facile ad Cynicum fontem referri possunt.

Ex iis qui de declamationibus data opera egerunt, multi iure eas Antistheni Cynico adsignare videbantur, quod multa et manifesta vestigia doctrinae Antisthenicae inesse putabant. Blassius quoque vir clarissimus et in his litteris versatissimus tam firmiter sibi persuasit cum Cynicis maxime convenire et placita, quae in iis oratiunculis edi-

---

[1]) cf. Joel II. p. 404, 405, 407, 552.

cuntur et stilum ipsum rationemque dicendi, ut profiteretur ne dubitari quidem licere de vera Cynica origine. [1])

Primus, quantum video, Deycks ll. attendit ad:

Ai 7: ἐγὼ μὲν οὖν ὑμῖν λέγω τοῖς οὐδὲν εἰδόσι κριταῖς καὶ δικασταῖς, μὴ εἰς τοὺς λόγους σκοπεῖν περὶ ἀρετῆς κρίνοντας, ἀλλ' εἰς τὰ ἔργα μᾶλλον· καὶ γὰρ ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται ἀλλ' ἔργῳ· οὐδ' ἀντιλέγειν ἔξεστι πρὸς τοὺς πολεμίους, ἀλλ' ἢ μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ.

cf. Diog. Laert. VI. 11: ἤρεσκεν αὐτῷ καὶ τάδε· τὴν τε ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι, μήτε λόγων πλείστων δεομένην μήτε μαθημάτων — et celeberrimum illud (Arist. Metaph. IV. 29): — μὴ εἶναι ἀντιλέγειν.

Haecce, quam inter se similia sint, neminem fugit, ne Muellerum [2]) quidem, sed ne eo cogatur decedere a priore sententia, qua utrumque opusculum tanquam subditicium damnaverat, inepte esse inserta haecce iudicat ab imitatore aliquo; cur autem haecce inepte inseri videantur non explicat.

Non desunt, quibus hanc ratiocinationem impugnemus.

Primum Aias hic, ut saepe alias, τῇ ἐπιστήμῃ (eorum qui testes fuerunt virtutis) opponit τὴν δόξαν [3]) (cui obsequuntur judices οἱ οὐδὲν εἰδότες), itidem τοῖς ἔργοις τοὺς λόγους (inania intelliguntur Ulixis verba, quibus fidem habebunt judices), quae ratio cum et Socraticae philosophiae et Cynicis propria est, simul optime convenit Gorgianae rhetorices sectatori. Oppositiones enim eiusmodi, quantumvis satis communes videantur, Antisthenes sine dubio imprimis magistro Gorgiae debuit — ut ille crebro iis utitur, ita hic in nostris opusculis identidem ea adhibet. [4]) Sic

---

[1]) cf. Blass. ll. p. 340 sq. et praef. ad Ant. ed. I.

[2]) Mueller ll. p. 31.

[3]) cf. 31: περὶ δόξης καὶ ἐπιστήμης. — Plat. Clit. p. 409 E. — Joel p. 495. — Blass. ll. p. 340, 343.

[4]) Ai. 1—7 (quater) — 8 e. q. s.

non fortuita est creberrima illa oppositio verborum et factorum, neque facta aut opera sola, sed quae ἀγαθὰ sunt, commendantur, κακόν τι δρᾶν impugnatur, τὸ εὖ πράττειν laudatur.[1]) ἀμαθία et φρόνησις notiones quoties recurrunt! Quam juste semper agunt οἱ εἰδότες, quam prave contra οἱ μὴ ἐπιστάμενοι, qui recte facere ne possunt quidem, etiam si velint! Nam ὁ ἀμαθὴς nescit, quid sibi bonum sit. Operae pretium est haec accuratius paucis indicare. Iam in ipso orationis suae exordio Aias indices stultos appellare audet (οὐδὲν εἰδότες....οὐκ ἴστε) eos, ad quorum tribunal nunc processit, discernit a severis justisque arbitris, quum mox verborum (Ulixis sc.) specie occaecati in iuste iudicaturi sint de virtute, quam aestimare vera ratione nesciant, de factis decernant, quae ignorent. φρόνησις et ἀμαθία pariter inter se opponuntur ac ἔργα et λόγοι. Merito sed frustra eos admonet: Facta considerate non verba, περὶ ἀρετῆς κρίνοντες — attendite ad res gestas, quibus glorior vel, si fortuna adversa fuerit, cogitate servitutem tacite mihi tolerandam fuisse, iam γνώσεσθε verba ad facta nil valere. Vir, qui loquitur tantum, vobis non prodest, videbitis (εἴσεσθε) multos ac longos sermones haberi solere ob inopiam factorum (δι'ἀπορίαν ἔργων) — e quibus quid efficitur, si non probatis, quae admonui? Vos ἀμαθίᾳ et ἀγνοίᾳ affectos esse. Idcirco propter imperitiam non intelligitis quae dicuntur: reputate vobis etiam poenam esse dandam, si errabitis. Cognoscatis, quaeso, vos non sedere tanquam iudices (κριτάς), sed tanquam homines, qui opiniones solas habent (δοξασταί).

Maiorem vim τῇ ἐπιστήμῃ Ulixes dat ut τῆς ἀρετῆς vero fonti, acerbius τὴν ἀμαθίαν abominatur ab omni prorsus virtute remotam. Tu, rogat, Aias coram me περὶ ἀρετῆς

---

[1]) Od. 1, 5, 6, 7, 9. — Ai. 2, 5. — Od. 1, 5, 6, 9 cet.

cf. Diog. Laert. VI. 5. — Ant. ἐπαινούμενός ποτε ὑπὸ πονηρῶν ἔφη· ἀγωνιῶ μή τι κακὸν εἴργασμαι.

cf. Winckelm. fragm. p. 35, 4: Ἀντισθένης — νομίσας ἰσχυροτέραν εἶναι πάσης τῆς διὰ λόγων ἀντιλογίας τὴν διὰ τῶν ἔργων ἀπόδειξιν. — cf. Joel II. p. 535.

loqueris? [1]) Tu, qui prorsus ignoras quo modo certandum sit, veluti sus ira sola impulsus incides mox in malum quoddam.

Virum autem revera bonum nullum malum passurum nescis? (*οὐκ οἶσθα τὸν ἄνδρα τὸν ἀγαθὸν — οὐδ' ὁτιοῦν πάσχειν*;) Nisus enim ille certa sui cognitione et conscientia a nemine unquam malum accipiet. Pueris similem te praebes, qui *φρονήσεως* adhuc expertes nondum didicerunt, quae sit vera *ἀνδρεία*, et exsultant gaudio quod laudantur ob pusillum factum (Od. 7: *ὥσπερ οἱ παῖδες χαίρεις* e. q. s.)

Quid ego? Inermis tibi, armis muri instar obtecto, dux fui et custos ut ceteris omnibus — constantia mea nullum reformido, sapientia mea alienam opem non desiderat — secutus meum unius consilium (*φρόνησιν*) aliis demonstro exemplum *τῆς ἀρετῆς*. Sum *πολύτροπος* inde *σόφος* inde *ἀγαθός*, nam *οἱ σόφοι καὶ ἀγαθοί*· [2]) *σόφος ποιητὴς* meam prudentiam, *ἀνδρείαν*, patientiam laudabit, te bestiis assimilabit, quod ad tuam *φύσιν* attinet.

Tota Ulixis oratio est laus sapientiae. Ceterum in hac ipsa re Ulixes ille Antisthenicus dignum Cynicis praeceptis se praebet et a vero philosopho Cynico parum differt. Ita solent Cynici quoque cum superbia praedicare sapientem sibi sufficere, propriae sapientiae se debere omnia, ex ipsorum prudentia ceteros pendere. Quae consiliis suis voluntatibusque obstant sapiens Ulixes deridet aut despicit, quippe quae omnia pertinaci ac ferreo ingenio suo superaturus sit.

Quid Aias? *ὑπ' ἀμαθίας* ne agnoscit quidem, quae sibi bona sint.

Contumeliose istam *ἀμαθίαν* Ulixes Aiaci non objicit, quoniam tum illi tum aliis omnibus contingit invitis. [2]) Frustra, inquit, vires intendisti, frustra iudicibus mala minaris, nam qui virtute sua *αὐταρκὴς* est aliena pericula

---

[1]) Od. 6 — *ἔπειτα περὶ ἀρετῆς πρὸς ἐμὲ λέγεις.*

[2]) cf. schol. ad Odysseam I, 1. — Joel p. 404 sq., p. 485.

extrinsecus imminentia non metuit, denique quid proprie fundamentum virtutis tuae? Non fortitudinem tu ostendisti quae virorum, sed saevitiam quae ferarum est. Ex qua stultitia tibi malum in posterum contrahes. Et postremo pueri instar bene audire vis, famam solam, factorum tuorum praenuntiam concupiscis, quam sapiens flocci non habet. Igitur te et stultissimum et ignavissimum et mortem vel maxime timentem appello.

Nihil in hisce omnibus, quod non ex asse — non dico Cynicum — sed etiam Antisthenicum sit. Nec minus eiusdem scholae rigidam sapientiam redolent ea, quibus monet Ulixes quam aequo animo infamia et obscuritas ferendae sint. [1]) Plus semel enim contendit adversus Aiacem, qui in hisce vulgari hominum ambitioni obnoxius est, nullum periculi genus neque ullum officium quodcumque est per se turpe esse posse, dummodo bonum sit propositum. Aperte declarat virtutis officia si assequamur, nec servi vestem, nec mendici pannos hominem dedecere — nam gloriae causa periclitari simulatoris est, dignitas aut ambitio nihil ad nos pertinent, [2]) si bonum petimus. Notanda quoque postrema Ulixis orationis pars: *φθόνον δὲ καὶ ἀμαθίαν νοσεῖς, κακῶν ἐναντιώτατα αὑτοῖς· καὶ ὁ μὲν σὲ ἐπιθυμεῖν ποιεῖ τῶν καλῶν, ἡ δὲ ἀποτρέπει.* Ecce verba et Socratis discipulo digna et homine Cynico! Nonne Socrates contenderat *τὸν φθόνον* nec amici calamitatem spectare nec inimici fortunam sed amici fortunam [3]) — prorsus

---

[1]) Diog. Laert. VI, 11: *τήν τε ἀδοξίαν ἀγαθὸν καὶ ἴσον τῷ πόνῳ.* — Arr. Diss. Epict. I, 24 de Diogene, Diog. Laert. VI, 72, ib. 83 de Monimo ib. 93 de Cratete, indicant hac in re Cynicos omnes consensisse.

[2]) Arr. Epict. Diss. III, 24, 67 sq: (*Ἀντισθένης*) *ἐδίδαξέ με τὰ ἐμὰ καὶ τὰ οὐκ ἐμά· κτῆσις οὐκ ἐμή· συγγενεῖς, οἰκεῖοι, φίλοι, φήμη, συνηθεῖς τόποι, διατριβή, πάντα ταῦτα ὅτι ἀλλότρια.*

[3]) Xen. Memor. III, 9, 8: *φθόνον δὴ σκοπῶν, ὅ τι εἴη, λύπην τινά — ὄντα, οὔτε μέντοι τὴν ἐπὶ φίλων ἀτυχίαις οὔτε τὴν ἐπὶ ἐχθρῶν εὐτυχίαις γιγνομένην, ἀλλὰ μόνους ἔφη φθονεῖν τοὺς ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις ἀνιωμένους.* — Joel ll. p. 346.

cf. Arist. Rhet. II 10: invidia est molestia quaedam ex eo contracta quod alii similes bene ac feliciter rem gerere videantur. (sic Parsons in edit. praef.)

absurdus ergo iste φθόνος, cui nullus φρόνιμος ἀνὴρ obnoxius erit. Quid autem Antisthenes? Ab invidia prorsus se alienum praedicat apud Xenophontem in Convivio (IV. 43): ἐγώ τε νῦν οὐδενὶ φθονῶ ἀλλὰ πᾶσι τοῖς φίλοις καὶ ἐπιδεικνύω τὴν ἀφθονίαν καὶ μεταδίδωμι τῷ βουλομένῳ τοῦ ἐν τῇ ἐμῇ ψυχῇ πλούτου — idem alibi dicit invidos consumi invidia uti ferrum rubigine. φθόνος inde, cuius vocis vim h. l. tum conspicuus in pericopes initio locus tum conjunctio cum ἀμαθίᾳ intendunt, haud temere explicatur tanquam opprobrium Cynico conveniens. [1])

Itidem interpretari possis proxime sequentia: ἀνθρώπινον μὲν οὖν τι πέπονθας i. e. omnibus fere omnino mortalibus conjunctio τοῦ φθόνου καὶ τῆς ἀμαθίας propria est (ἀνθρώπινον.)

Habetis exempla quaedam e quibus Cynica declamationum origo haud aegre cognoscatur; ad quam alia multa vestigia ducunt.

Habet ut supra vidimus sermo Antisthenis suos quosdam nervos, suam acrimoniam. Consulto is quaerit austera, placent ei acute dicta, quae pungunt animum lectoris, vel necopinata quadam ratione expressa advertunt etiam minus attentum: ita quoque hic illic agnoscas in verbis tam Aiacis quam Ulixis [2]) exempla quaedam amaritudinis acrimoniaeque, quae consulto utrique ab auctore subjecta esse videntur.

Ai. 3: δεδιότες τόνδε τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα — ironia per

---

[1]) Joel ll. p. 356: die Rede des kynisch beeinflussten Dio Chrysostomus περὶ φθόνου (or. LXXVII). Ausserdem führte Odysseus den Antisthenes zweimal auf das Thema des φθόνος: 1. in der von ihm behandelten Tradition über den Tod des Palamedes, 2. In den Streit des Ai. und Od. 12.

[2]) Blass. ll., p. 343: Sonst ist der Ausdruck hier und da poetisch gefärbt, wie natürlich bei einem den Dichtern entlehnten Stoffe, im ganzen jedoch durchaus einfach und correct und lediglich, was gerade zu Antisthenes trefflich stimmt manchmal kräftiger und derber. — Exemplis, quae protulit Blass., nonnulla addidi memoratu digna. Argumentum ipsum, de quo litigantes inducuntur principes, id efficere, ut verborum tenor ruditatem et acerbitatem offerat, per se apparet.

se quidem usitatissima; quis enim non et *ἀγαθὸν* adversarium vocavit et *βέλτιστον*? Hic vero dicti acrimonia gravior fit quia statim adicit: *ὃς καὶ πρότερον ἱεροσυλήσας αὐτῶν* — quibus scilicet probitatem eius iudicibus probet.

Ai. 6: *ὁ δὲ κ'ἂν κρεμάμενος, εἰ κερδαίνειν τι μέλλοι· ὅστις γε μαστιγοῦν παρεῖχε τοῖς δούλοις καὶ τύπτειν ξύλοις τὰ νῶτα* et quae sequuntur — ecqua graviore iniuria Ulixes affici potuit? Qui princeps celebratus cum vilissimo servo confertur!

id. *μαστιγίας καὶ ἱερόσυλος* arma Achillis postulabit? Observa mox gravem iram adversus stolidos iudices! Animadverte minas ab Aiace in istos jactatas!

Od. 5. *καὶ πολλάκις γε ἀπειλήσεις καὶ πολλὰ, πρὶν καὶ σμικρόν τι ἐργάσασθαι*! quod convicium effundit in eum, qui *ἔρκος Ἀχαιῶν* vocatur, *ὃς πέρι μὲν εἶδος πέρι δ'ἔργα τέτυκτο τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ'ἀμύμονα Πηλείωνα.*

Od. 6: *σὺ δὲ εἴ τι φανερῶς <μάτην> ἐμόχθεις καὶ μάτην ἠλίθιος ἦσθα* — (cf. comment. ad h. l.) Ecce quam acerbe Aiacis fortia facta derideat: non enim solum dixit *μάτην ἐπόνεις* sed etiam *μάτην ἠλίθιος ἦσθα*. Ita auditori id persuasit, ut secum efficiat *ἠλιθιότητα* merito dici *τοῦτο τὸ μοχθῆσαι.*

Od. 7: *δειλότατόν γε ἁπάντων τε καὶ δεδιότα τὸν θάνατον μάλιστα.* Quam turpiter Aiacem ab Achille secundum intrepidumque prae ceteris increpat!

Od. 9: *ἀλλ'εἴτε δοῦλος εἴτε πτωχὸς καὶ μαστιγίας.* Ut Diogenes dixerat:[1] *ὁ δὲ ἀνὴρ ὁ γενναῖος ἡγεῖται τοὺς πόνους ἀνταγωνιστὰς μεγίστους* ita h. l. Ulixes ultro provocat servilem conditionem paupertatemque, quin etiam, si opus erit, se virgis caedi patietur. Dum consilia sua exsequatur nil malum nil turpe habet; inde sponte sua *τὰ δουλοπρεπῆ ταῦτα ὅπλα καὶ τὰ ῥάκη καὶ τὰς μάστιγας ἔχει* (Od. 10).

Od. 10: *ἀλλ'ἡνίκα ἂν ῥέγχῃς σύ* — quam *ἀγροίκως* dictum! sed non curat Cynicus urbanitatem.[2]

---

[1]) cf. Dio. Chrys. IX, p. 291. — Weber, p. 137.

[2]) cf. Weber, p. 177.

Cynicam quoque, si quid video, indolem prae se ferunt comparationes, quarum satis magnus numerus invenitur. Quem comparandi usum Cynicos non orationis ornandae causa, ut oratores fecerint, sed ut sententiis vim adderent adhibuisse Weberus [1]) luculenter ostendit. Etiamsi nullo modo pro certo affirmare possim comparationes, quae insunt omnes ad eam originem referendas esse, tamen haud temere mihi attulisse videor indicia nonnulla, quae fortasse ad rem nostram alicuius momenti sunt.

Ai. 4. Nullus rex, qui de virtute potest judicare, aliis id committeret *οὐ μᾶλλον ἥπερ ἀγαθὸς ἰατρὸς διαγνῶναι νοσήματα ἄλλῳ παρείη.* — Quoties Antisthenes medicum in argumentando adhibuerit [2]), testantur fragmenta; exempli gratia hic affero: Diog. Laert. VI, 4: Antisthenes rogatus cur in discipulos acriter inveheretur: *καὶ οἱ ἰατροὶ, φησὶ, τοῖς κάμνουσιν.* Id. 5: quum ei opprobraretur, quod congrederetur cum improbis: *καὶ οἱ ἰατροὶ, φησὶ, μετὰ τῶν νοσούντων.*

Od. 6: Tu, Aias mecum de virtute disputas? Qui ne noveris quidem expectare pugnae opportunitates *ἀλλ'ὥσπερ ὗς ἄγριος ὀργῇ φερόμενος τάχ'ἄν ποτε ἀποκτάνοις* [3]) *σεαυτόν.* Adamat Cynismus artem comparandi ita adhibere, ut hominum stultitia appareat e comparationibus a bestiis desumptis [4]) — sic h. l. Aias efferatae suis instar ira raptus esse dicitur. Sues quam frequenter memorentur in Cynicorum de philosophia disputationibus non est opus dicere. [5])

Od. 7: Increpat Aiacem, quia gloriae cupidus non virum fortem sed puerum se praestat: *σὺ δὲ ὥσπερ οἱ παῖδες χαίρεις ὅτι σέ φασιν οἵδε ἀνδρεῖον εἶναι.* Socraticum inesse

---

[1]) cf. Weber, p. 174 sq.

[2]) cf. Joel ll., p. 445 — (nt. 2) Die Fragmente zeigen übrigens auch, dass gerade der Mediciner am häufigsten von Antisthenes zur Argumentation herangezogen wird.

cf. Winckelm. Fragm., p. 16, 4 — p. 39 cet.

[3]) Omisi opt. reponere in textu.

[4]) cf. Weber. ll.

[5]) cf. Plat. Rep. p. 372 A.: *ὑῶν πόλιν.* — Duemmler Ant., p. 33 sq. — Joel, p. 382, 527. — Zeller. II, 1. 326. — Blass., p. 343.

colorem iam Blass. v. cl. observat; denuo h. l. Ulixes deridet eos, qui famae nobilitatem appetunt (*φασιν.... ἀνδρεῖον*). Memorabilis est translatio, qua contumuliose Ulixes utitur Aiacis *σάκος ἑπταβόειον* ter deinceps [1]) comparans cum muro. Mirum quantum *τεῖχος* tanquam firmi praesidii imago in deliciis est Antïstheni. [2]) Nonne habet concordiam fratrum *παντὸς τείχους ἰσχυροτέραν*, nonne vocat *τὴν φρόνησιν τεῖχος ἀσφαλέστατον*, nonne suadet *τείχη κατασκευαστέον ἐν τοῖς αὑτῶν ἀναλωτοῖς λογίσμοις*? [3])

Od. 8: *ὥσπερ οἱ κυβερνῆται — σκοποῦσιν ὅπως σώσουσιν τοὺς ναύτας.* — Socrates medicos et gubernatores saepe adhibet in comparationibus. Antisthenem praeter *ἰατροὺς* quoque adduxisse *κυβερνήτας* fortasse conjicias ex ps-Platonico dialogo Clitophonte p. 408 B., ubi respici putat Cynicum Joel. [4])

Quam notissima sed foeda comparatione Ulixes orationi finem facit:

Od. 14: Sapiens poeta *σε — τὴν φύσιν ἀπεικάζει τοῖς τε νωθέσιν ὄνοις καὶ βουσὶ ταῖς φόρβασιν, ἄλλοις παρέχουσιν δεσμεύειν καὶ ζευγνύναι αὐτούς.* Quam firmiter *ἀρετῇ* sua nisus iactat merita *πολύτλαντα, πολύμητιν, πολυμήχανον*, quam inhoneste Aiacis indolem (*φύσιν*) adaequat hebetissimis bestiis!

Supersunt quae indicemus elocutiones quaedam senten-

---

[1]) *οἴει τι διαφέρειν τοιαῦτα ὅπλα ἔχειν ἢ ἐντὸς τείχους καθῆσθαι; καὶ σοὶ μόνῳ δὴ τεῖχος οὐκ ἔστιν — μόνος μὲν οὖν σύ γε ἑπταβόειον περιέρχῃ τεῖχος προβαλλόμενος σεαυτοῦ.*

[2]) cf. Weber ll., p. 178: (Translationis) genus, quod a rebus, quae ad artem militarem pertinet repetitur eoque saepius usurpatur, quod vitae Cynicae indoli et rationi maxime commendatum erat.

[3]) Diog. Laert. VI, 6, 12, 13.

[4]) Joel. p. 495 nt. 2. — p. 502 nt. 2. Clit. ll.: *ὡς ὅστις ψυχῇ μὴ ἐπίσταται χρῆσθαι, τούτῳ τὸ ἀγειν ἡσυχίαν τῇ ψυχῇ καὶ μὴ ζῆν, κρεῖττον ἢ ζῆν, πράττοντι καθ' αὑτόν. εἰ δὲ τις ἀνάγκη ζῆν εἴη, δούλῳ ἄμεινον ἢ ἐλευθέρῳ διάγειν τῷ τοιούτῳ τὸν βίον. ἔστιν ἄρα καθάπερ πλοίου παραδιδόναι τὰ πηδάλια τῆς διανοίας ἄλλῳ, τῷ μαθόντι τὴν τῶν ἀνθρώπων κυβερνητικὴν ἣν δὴ σὺ πολιτικὴν, ὦ Σώκρατες, ὀνομάζεις πολλάκις.*

tiae verba, in declamationibus obvia, quae accurate conveniant cum ea ratione dicendi Antisthenica, qualem post aliorum curas Joel sedula cura ostendit.

Primum observatu dignissima mihi videtur frequens repetitio [1]) vocis δοῦλος, qua voce quid voluerit [2]) philosophus uberius nobis aliquanto exponere liceat. Plato et Xenophon nobili loco nati ad servorum condicionem parum attendunt, tolerabant ut videtur; Socrates quamvis plebejo genere ortus et inde victu ac familia haud procul a servis distans raro de condicione eorum disserit — quid autem Antisthenes? Natus ex ancilla Thracia, οὐκ ἰθαγενὴς erat, Κυνόσαργες ei domicilium et gymnasium, ubi cum nothis qui impari conjugio aut concubinatu orti erant cotidie versabatur. Pauperrimus ipse, discipulos quoque fortuna civilibusque iuribus destitutos habebat externasque res omnino aspernabatur. Cum istiusmodi hominibus ignominia notatis vitam degebat, sed aequo animo ista omnia tolerabat, quin potius reliquos qui gloriabantur se esse indigenas illusit, exprobrantibus matrem esse Phrygiam objecit deorum matrem quoque Phrygiam esse. Nam aliis ac longe diversis Cynicus [3]) divitiis gloriatur: αὐταρκὴς τῇ ἀρετῇ eam vivendi normam vere ingenuus ac liber sequitur, quam unice philosophia eius probat — contra ceteros qui libertate frui sibi videntur, eos veros servos appellat. Quid mirum igitur si Antisthenem saepius de servitute et libertate disseruisse invenimus? Cui argumento singularem librum

---

[1]) Ai. 6 bis, 7. Od. 9, 10. Blass., p. 340.

Antisthenem eiusque sectatores persaepe egisse de servis ac liberis constat: cf. Wincklm. fragm., p. 59, 14; 58, 9; Joel ll., p. 361; 360, 495, 499, 405, 406, 407 cet. — Weber ll., 92 sq. — Hense in Mus. Rhen. 1892, p. 220.

[2]) Convenit quoque cum Cynica insolentia, quod praeter vocem δοῦλος crebro recurrat convicium μαστιγίας; eodem redit mendici (πτωχός) mentio, pannis (ῥάκεσιν) obsiti.

[3]) Cynici enim pauperem eum appellabant, qui virtute careret, servum eum, qui libidinibus (vitiis?) obnoxius esset, regem (divitem?) eum solum qui sapiens esset. Weber ll., p. 178, 138.

dedicavit *περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας*; et declarat: *ὅστις ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν*, eo usque progreditur ut tyrannos servos increpet quin etiam servis vilissimis multo nequiores.

Huc quoque referendum hoc est: *φθόνον καὶ ἀμαθίαν νοσεῖς*. De *φθόνῳ* et *ἀμαθίᾳ* iam locutus sum[1], attendere velim ad *νοσεῖς*. Sat scio nullum non philosophum, qui Socratis placita moralia sit sectatus, vitia peccataque humana *τῆς ψυχῆς νόσους* dixisse: aegrotare enim ignorantia occaecatum secundum Socratem, qui malum quoddam committat: sed ipsa aegritudinis imago nulli magis quam Antistheni ac Cynicis placuit. Sic verbi causa: Venerem sagitta configam inquit, item *τόν ἔρωτα κακίαν φύσεως* dicit *ἧς ἥττους ὄντες οἱ κακοδαίμονες θεὸν τὴν νόσον καλοῦσιν*; [1]) ita apud Xen. Conv. IV. 37. *νόσον* translate [2]) adhibet ad cupidinem divitiarum significandam.

Apte quoque convenire cum Antisthenis dicendi norma usum adjectivorum *καλὸς* aut *ἀγαθὸς* et quae opponuntur: *αἰσχρὸς* aut *κακὸς* nemo negabit; [3]) locos tantum indicare, sufficit, quia in superioribus de locorum illorum sententia ac explicatione satis fuse disputavi. Ai. 3. — *ὥσπερ τι καλὸν ἐργασάμενος* 4: *ἀγαθὸς ἰατρός* 6: *ὡς καλῶς πέπρακται* Od. 1: *πλείω γὰρ ἀγαθὰ πεποίηκα*, 2: *καλῶς ἀγωνίζοισθε* 4: *εἴπερ καλὸν ἦν...καλόν γε καί*, 6: *τὸν ἄνδρα τὸν ἀγαθόν*, 7: *ἤ που καλόν τι* 9: *κίνδυνον αἰσχρὸν ἡγησάμενος* 12: *οὐ — αἰσχρόν* 13: *ἐπιθυμεῖν ποιεῖ τῶν καλῶν*.

Inter vitia hominum, quae semper omnes fere Cynici vituperabant, imprimis quoque *δειλία* notanda est [4]) (cf. Julian. VI. 190 B); invenitur Ai. 3: *δειλὸς γὰρ οὐδεὶς ἂν ἐπισήμοις ὅπλοις χρήσαιτο, εἰδὼς ὅτι τὴν δειλίαν αὐτοῦ ἐκφαίνει τὰ ὅπλα*.

---

[1]) Wincklm. fragm. p. 29, 1.

[2]) ll. Joel, p. 360 nt. 1: Es sieht dem Kyniker — ähnlich, sinnlich farbreiche Begriffe (v. c. *δοῦλος, νόσος* cet.) auf das Geistige zu ubertragen und gerade in dieser Uebertragung häufig anzuwenden.

[3]) cf. Joel ll. — passim ea adjectiva in fragmentis invenimus.

[4]) cf. Weber. ll., p. 135.

Od. 6: *ἐμοὶ .. δειλίαν ὀνειδίζεις* 7: *ἐγὼ δὲ δειλότατόν γε ἁπάντων*, 11: *αἰσχύνοιο ὁμολογῶν δειλότερος εἶναι.*

Sed iam satis de hisce indiciis, quorum numerum augere posse eum suspicor qui attentiore adhuc animo rationem dicendi Antisthenicam, quantum quidem de ea diiudicare possumus e parcis reliquiis, examinaverit eamque comparaverit cum singulari stilo, quo declamationes scriptae sunt.

Videamus, postquam patrocinari sumus conati declamationibus, quidnam alii hac in re senserint. Inter virorum doctorum de declamationibus sententias singulari examine dignissimae mihi videntur eae, quas protulerunt Benselerus et Radermacherus; quas uterque rationes in diiudicandis oratiunculis secuti sint, perlustremus.

Benselerus in libro de Hiatu p. 169 dicit in Antisthenis orationibus hiatus non summa quidem, sed tamen aliqua cum cura esse vitatos. Contendit eo tempore, quo vixerit Antisthenes, hiatus omnino a scriptoribus prosae orationis non esse evitatos, nisi ab Isocrate, in quo id ipsum maxime laudatur. Contra Blassius [1]) observat leviores hiatus infinite fere admitti, graviores raro. Quoniam autem idem fere in fragmentis observari potest, Benselerus hac in re audacius iudicasse videtur, etenim haud saepe graves hiatus invenies apud Antisthenem, leviores autem permultos. Quidni Antisthenes pariter ac Plato et Thucydides aliqua cum cura graviores quidem hiatus plerumque vitare potuit, aut si hic illic admisit, cur hoc non de industria fecisse potuit? [2])

Enumerat Benselerus octo hiatus, addit Blass. v. cl. ex fragmentis multos — qui accurate fragmenta examinaverit ei apparebit Blassii [3]) sententiam hac in re praeferendam

---

[1]) Blass. ll., p. 341.

[2]) Iam sic Matthiae Gr. Gramm. I, p. 105: Am Isocrates und seinen Schülern tadelten die Alten die grosze Sorgfalt, womit sie das Zusammenstoszen der Vocale vermieden, anstatt das Thucydides und Plato die Vocale gern zusammentreffen lieszen, und dadurch ihrer Rede etwas Volltönendes gaben. cf. Cic. Orat. 150 sq. — Demetr. de elocut. 68.

[3]) Repetivit Blass. iudicium suum in praef. ad. Ant. ed. I.

esse inconsideratae Benseleri suspicioni. Admonere hic quoque velim, uti supra in figuris ac tropis explorandis feci, verba ipsius Antisthenis ab auctoribus saepius minus accurate et parum ad verbum esse citata.

In universum de levissimo hiatu, qui v. c. invenitur post articulum post δέ (si μέν praecesserit), post περὶ, καὶ, τι, ὅτι, difficile est dictu sitne admittendus necne, quum per elisionem aut aphaeresin aut crasin facillime vitari potuerit. [1]) Quaerens, quibus locis insint hiatus necessarium mihi visum est tria hiulcorum genera discernere sc. aut levissimorum, i. e. elisione aliave simplici ratione eliminandorum, aut eorum qui haud facile transpositione verborum aliove modo vitari possunt aut qui certa quadam de causa retinendi sunt.

In fragmentis invenias:

p. 18, fr. 11: κακῶς δὲ ἀκούειν (vitatur ap. Arr. cf. supra pag. 22). p. 19, fr. 16: ἐξίοντα ἀπ'αὐτῆς.

p. 21, fr. 18: οἱ δὲ ἐκ βομβυλιοῦ. p. 29, fr. 35: τόν τε ἔρωτα.

p. 34, fr. 44: δὲ οὐχ ὁρῶ. (bis) p. 52, fr. 63: ἡμεῖς δὲ ἀκούομεν.

p. 52, fr. 66: καὶ τὸ ἴσον. p. 55, fr. 75: τὰ ἐμὰ καὶ τὰ οὐκ ἐμά, id. ταῦτα ὅτι.

p. 58, fr. 82: οἱ δ' οὐκ. p. 58, fr. 86: οὔτε ἐλεύθερος.

p. 63, fr. 112: ἐπὶ τίνι ἄν.

p. 65, fr, 125: εἰ δὲ ἀνθρώποις.

Qui omnes hiatus elisione (δ', οὐτ', cet.) facile possunt vitari.

p. 18, fr. 14: Νιρέα εἰς. p. 23, fr. 24: θεὸν οὐδενὶ ἐοικέναι. id. οὐδενὶ ἔοικε.

p. 58, fr. 83: τιμηθῆναι ἢ ἐλλεβορισθῆναι.

Haud facile in hisce hiatus vitari potuit mutatione aut transpositione verborum.

p. 16, fr. 7: αὐτοῦ ἠράσθη. p. 52, fr. 67: ὀδυνήσει ἀνθρώπους.

p. 62, fr. 110: τὰ κακὰ ἃ ἔχεις. p. 52, fr. 63, εὐφήμει ὦ.

---

[1]) cf. Benseler. ll. prooem. p. 8 sq. — hiatum post καὶ in catalago meo omisi, nemo enim opinor tam teretes habet aures, ut tali hiatu offendatur.

In graviore hiatu, qui efficitur in singulis hisce exemplis, aliqua causa [1]), propter quam hiatum consulto non vitavit auctor, adfuisse videtur.

Similiter discerni debent hiatus in declamationibus. Levissimi hiatus exempla invenias: Ai. 2: *εἰ ἐκράτησαν ἐκόμισα ἐγὼ*. 2: *ἠκίσαντό τε ἂν, τάδε οὐκ*. 3: *γε αὐτοῖς*. 4: *οἵ τε οὐδέν, ἐγὼ δὲ ἐπίσταμαι νοσήματα ἄλλῳ*. 7: *ταῦτα ἀθρεῖτε*. 8: *δικάζετε ὀρθῶς, δὲ ἀκριβῶς, δίκη ἐστί*.

Od. 2: *οὐδὲ εἰ, δεῦρο ἀφίγμεθα*. 3: *σύ γε οὐδὲν, τοῦτο ἀποκαλεῖς*. 5: *τε εἶ*. 6: *οἶσθα οὐδ', ποτε ἀποκτάνοις* [2]) 7: *οἵδε ἀνδρεῖον, ὅπλα ἔχεις* (bis deinceps), *ἔπειτα οἴει*. 8: *αὐτὰ εἰσέρχομαι, καὶ τὰ ἐν*. 9: *ὅπλα ἐστι*. 10: *τότε αὐτοῖς, με ἀφείλετο, ἡνίκα ἂν, τηνικαῦτα ἐγώ*. 11: *δύο ἄνδρες*. 12: *ὅπλα ἀναθήσειν, ἕτοιμα ἐκόμισας*. 13: *σε ἐπιθυμεῖν*.

Vocalium concursiones, quae vix distrahendo voces mutandove ordinem vitari potuerant invenias:

Ai. 1: *μὴ εἰδότων, τὸ δὲ πρᾶγμα ἐγίγνετο ἔργῳ*. 7: *κρίνεται ἀλλ'ἔργῳ*. 9: *περὶ ἐμοῦ ὅς*.

Od. 1: *ἐγὼ ἤ, καίτοι ἐν, ἐμοῦ ἂν*. 3: *ἄλλος ἢ ἐγώ*. 4: *καίτοι εἴπερ*. 7: *ἢ ἐντὸς*. 11: *μὴ ἠδύνω*. 12: *μὴ ἀποδιδοῦσι, τὰ ὀνειδιζόμενα ἀφειλόμην*.

Sequuntur gravissimi hiatus, quos auctor fortasse de industria quaesivit, ut singula verba certo consilio composita, suam vim et locum servarent:

Ai. 1: *παραγενόμενοι αὐτοῖς, αὐτοῦ ἐκφαίνει*. 9: *ἀφῖκται εἰς*.

Od. 2: *πλέον ἐγίγνετο οὐδὲν*. 4: *τὸ τούτου αἴτιον*. 7: *ἢ ἐντὸς τείχους*. 10: *σὺ ἀσφαλῶς καθεύδεις*. 11: *οἴει εἶναι*.

Ex quibus, ni fallor, concludere licet auctorem declamationum parum attendisse ad hiatus vitandos; tria vocalium concursus genera inesse ostendi; primum, in quo aures vix offenduntur, alterum eorum qui graviores sunt, nec levi ratione possunt eliminari, tertium in quo gravissimi hiatus consulto a scriptore quaesiti esse videntur propter compositionem ipsorum verborum, quae

---

[1]) Cf. quae supra p. 81 disputavi de verborum ordine.

[2]) Omisi opt. reponere in textu.

hiulcant, diligentissimam — ex quibus effici mihi videtur Benselerum ratione nimis temeraria nisum declamationes Antistheni abjudicasse.

Postremum mihi agendum est de ratione, quam recentissime inter omnes Radermacherus [1]) secutus est in declamationum origine exploranda. Contendit vir doctus declamationem utramque principio habuisse formam tragoediae, postea autem eas esse mutatas in formam solutae orationis, idque approbare conatur e crebra iamborum coniunctione, quibus constet oratio et ex integris senariis, quos lenissima tantum mutatione adhibita, in orationibus etiamnunc servatos invenisse sibi videtur. Operae pretium est quam accuratissime possum, in eam rationem ingeniosissimam quidem sed lubricam, inquirere.

Etenim investigandi ratio, qua Radermacherus usus, ne dicam abusus est, si in huiusmodi disquisitionibus valebit, vereor ne permulta quae prosa oratione conscripta sunt mox poematum *παραφράσεις* multis videantur. Habet enim hoc totum illud declamationum genus, ad quod Aiax atque Ulixes pertinent, quod artificiosa ratione dicendi diligentissimaque compositione saepe a dictione poetica parum aut nihil distat, id quod facile sic explicari potest: 1°. eiusmodi oratio plerumque figuris periodisque abundat; 2°. parum discrepat a poetico dicendi genere, quamquam numquam immodico poeticae dictionis usu prorsus similis est poesi; 3°. oratio illa numerose saepius fluit. [2]) De figuris iam locuti sumus; quatenus poeticum dicendi genus adhibere in prosa oratione licere nonnulli putarent, iam Aristoteles in Rhetoricis exposuit, [3]) restat

---

[1]) Mus. Rhen. 1892, p. 569—577: „Der Aias und Odysseus des Antisthenes."

[2]) cf. Norden ll., p. 50—54. — Cic. Orat. 189 sq.

[3]) Arist. Rhet. III, 1.: *ἐπεὶ δ' οἱ ποιηταὶ λέγοντες εὐήθη διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τήνδε τὴν δόξαν, διὰ τοῦτο ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο*

ut de numeris in soluta oratione adhibitis dicam, quantum opus est nostrae quaestioni. Ex omnium consensu constat in vetere prosa τὸν ἔμμετρον λόγον non solum non vitari sed saepius adhiberi. Neque id fugit lectores antiquiores, qui versus versuumque partes in soluta oratione saepe occurrere iam denotaverunt; Hieronymus Rhodius [1]) v. c. iam ex Isocratis libris versus nonnullos, plerosque senarios elegit — nec mirum, nam, ut Cicero addit, magnam partem ex iambis constat oratio; [2]) incidere vero omnes (sc. numeros) in orationem etiam ex hoc intellegi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus — quod vehementer est vitiosum.

Item sollerti diligentia, nec non feraci ingenio usus Radermacherus, postquam semel animadvertit non deesse integros in utraque declamatiuncula iambos, copiam haud contemnendam senariorum in opusculis illis invenit; quin etiam ulterius progreditur atque ad certam originem referri posse declamationes contendit.

Ad quam rationem Blassius [3]) primus quodammodo viam praemunivit; obiter enim vir clarissimus attenderat ad locos quosdam ita compositos, ut aut nulla aut parva mutatione verborum facta, iambicus oreretur versus vel singuli saltem pedes deprehenderentur. Qua observatione Radermacherus excitatus declamationes accuratissimo examin subjecit et summo mentis acumine id tandem effecit, ut permagnum sane senariorum numerum restitueret — quo effectu laetus concludit, declamationes nihil esse nisi imitationem aut paraphrasin tragoediae alicuius. Tam strenue

---

λέξις, οἷον ἡ Γοργίου. Καὶ νῦν ἔτι οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων τοὺς τοιούτους οἴονται διαλέγεσθαι κάλλιστα. τοῦτο δ' οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἑτέρα λόγου καὶ ποιήσεως λέξις ἐστι.

[1]) cf. Cic. ll. 189 sq. — memorandus quoque libellus: Cicéron et ses ennemis littéraires, par Ferd. Gache et Sully Piquet. Paris 1886. p. 55, 56, 68, cet.

[2]) Cic. ll. —

[3]) Att. Beredsk II, p. 341 — in adnot. crit. ad Antisth. Odyss. 9, Ai 5.

rem suam egit Radermacherus, tam sagaciter vel versuum partes vel integros versus indagavit, tam apte quoque ad versus formam hīc illic verba metro soluta revocavit, ut parum primo abesset — ingenue enim profitebor — quin ab instituto meo delapsus concederem viro doctissimo, abiudicandas esse Antistheni declamationes nostras. Sed cum etiam atque etiam ea qua dignae sunt cura Radermacheri disquisitiones perpendissem, redii ad me. Etenim incerta nonnulla, quaedam dubia, quin minus recte etiam disputata in eius libello videbam, et mox mihi persuasi ad refutandas rationes, quae Antistheni vindicare opuscula nostra videntur, parum valere eius disputationem.

Inesse, si cui lubet hoc observare, numerosas partes, incidisse fortuito in oratione exercitata, partes numeris ita adstrictas, ut senariis quodammodo similes videantur, nemo negabit — sed quaeritur, num, textui ipsi nulla vi allata (nec verborum ordini nec verbis ipsis), adeo frequenter trimetri suppeditent, ut revera e tragica origine explicare eas poscat ratio: nam artificiosum stilum compositionemque diligentissimam id apud auctores, qui talibus usi sunt effecisse, ut passim numerosae in oratione partes inveniantur, non est quod dicam. [1]) Neque vero mirum si in Antisthenis declamationibus numeri abundant.

Aliud accedit. Argumentum τῆς ὅπλων κρίσεως a poetis tragicis [2]) frequenter tractatum et celebratum, ei, qui soluta oratione idem certamen retractat, ultro verba poetica, compositionem verborum poeticam, sententiarum structuram metro aptatam in mentem revocat, sicut ea omnia olim idem apud tragicos ipsos legerat. Nonne autem Antisthenes, quem versatissimum fuisse in Homericis carminibus scimus, pariter tragicae quoque musae favisse putandus est? Nonne eum, qui in poetae epici operibus tantam navavit operam, tum cum argumentum tractaturus

---

[1]) Luculenter de hisce disputat Blass. Att. Beredsk. et in adnotationibus suis ad Demosthenem, Antiphontem cet. Norden ll., p. 53 nt. 3.

[2]) Initio huius capitis nomina protuli.

esset propter litigantium oppositionem philosophiae suae aptissimum, tragicorum fabulas adiisse putemus? [1]). Memoratu etiam dignum est, quod quisque qui semel tantum perlegerit Gorgiae Palamedem [2]), tangi debet, quam saepe similis utriusque rhetoris dicendi ratio sit et quoties, quod huc potissimum quadrat similis interdum numerorum moderatio invenitur.

Protulerat Blass. v cl. hosce versus:

Od. 9: *οὐ γὰρ δοκεῖν ὁ πόλεμος ἀλλὰ δρᾶν ἀεί.*

Verba contorte dicta, cf. commentarium.

καὶν ἡμέρᾳ καὶν νυκτὶ — ⏑ — φιλεῖ.

τι post *φιλεῖ* graviter positum vix desiderari potest.

— ἐστί μοι τεταγμένα .... ἕτοιμός εἰμ'ἀεί....

in intervallis talibus numerosis, longarum et brevium syllabarum varietate ortis fortasse, nil quicquam proprium est. Invenias, ni fallor, apud quemcunque auctorem.

Ai. 5: *κακῶς ἀκούων οὐδὲ γὰρ (γ'ἂν) πάσχων κακῶς.*

Dicitur ab Aiace: *κακῶς ἀκούων* et — *κακῶς πάσχων*; consulto *κακῶς*, ut summam habeat vim, praeponitur utroque loco (cf. supra).

Od. 9: *ἀλλ'εἴτε δοῦλος εἴτε (πτωχὸς) καὶ μαστιγίας.*

Adnotat v. cl. ad hunc versum: si deleatur *πτωχὸς*, et versus existere et offensionem tollir, quam praebeant *πτωχὸς* et *μαστιγίας* iuncta et v. *δοῦλος* opposita. Cur vir cl. offendatur vocabulo *πτωχὸς* non intellego. Iactat adversus Aiacem Ulixes, si res postularent, nullas partes quamvis humiles a se repudiatas esse, immo si opus esset *τοὺς πολεμίους κακόν τι δρᾶν* ultro vel humillissimo officio functum se esse. Quam recte auctor h. l. tria ista munera Ulixi attri-

---

[1]) Scripsit de tragico (?) Theognide cf. Mueller p. 45: 11 *περὶ Θεόγνιδος δ'ε'* — Euripidem v. c. adamaverunt omnes et castigaverunt Cynici cf. Weber ll., p. 210 nt. 1 — p. 193 nt. 2 — Scripsit Diogenes etiam tragoedias.

[2]) cf. Joel, p. 417 sq, ceterum ille ad sententiarum convenientiam attendit.

buerit, apparet ex Odysseae libro quarto, ubi Helena narrat, quaenam perfecerit et qualia passus sit Ulixes (vs. 240 sq.); pergit sic:

vs. 244: *αὐτόν* (Ul.) *μιν πλησῇσιν ἀεικελίῃσιν δαμάσσας* — quae verba in memoriam revocant Antisthenis illud „*μαστιγίας*" (cf. Od. 10: *ἔχων... καὶ τὰς μάστιγας*).

vs. 245: *σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλὼν, οἰκῆι ἐοικώς* — servo similis, i. e. *δοῦλος* (cf. Od. 10: — *τὰ δουλοπρεπῆ ὅπλα*).

vs. 248: *δέκτῃ, ὃς οὐδὲν τοῖος ἔην ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν* — mendico se assimilat, i. e. *πτωχὸς* (cf. Od. 10: *τὰ ῥάκη*).

Necesse igitur mihi videtur tria illa vocabula conjunctim retinere.

Od. 9: *πρὸς ἕνα τε πρὸς πολλούς Θ' ἕτοιμός εἰμ' ἀεί.*

E quinque senariis, quos protulit Blassius, ni fallor vix unus alterve veram senarii speciem prae se fert; neque vero de priore quadam declamationum forma quidquam certi ex iis versibus efficere voluit vir clarissimus, nam leviter quidem in transitu ad hanc rem attenderat, sed nequaquam uberius persecutus est, quae sagaciter investigaverat.

Contra multo maiora molitus est Radermacher. Qui quo longius progressus est eo minus mihi rem suam probavit. Audiamus versus, quos ille in oratiunculis reconditos ad lucem produxit.

Od. 10: *βλάψει μάλιστα κ'οὐδὲ νὺξ* (*πώποτε*) *μ'ἀφείλετο.*

Post *βλάψει μάλιστα* punctum in textu. Tum incipit nova sententia: *καὶ οὐδὲ νὺξ πώποτε ἀφ.* in qua non carere possumus voce *πώποτε*: „nec mihi unquam potuit nox," Ulixes fortiter asseverat; praeterea in versu pariter ac in contextu *πώποτε* ponendum est inter *οὐδὲ νὺξ* et *ἀφείλετο.*

id. *ἀλλ'ἠνίκ'ἂν ῥέγχῃς σύ, τηνικαῦτ'ἐγώ.*

ῥέγχεις pro *καθεύδεις*: non tragice potissimum hoc verbum, comicis proprium, sonat; minus eleganter fortasse *ἐγὼ* separatur a verbo *σῴζω...*

id. *σῴζω σε καὶ τοὺς πολεμίους ἀεὶ κακόν* — *ποιῶ τι* (*τι ποιῶ* in codd.)

Ceterum si in prioribus versibus iam non admodum placet, quod ἐγὼ in priore senario σῴζω in altero positum est, multo magis dissuadet, ne versus revera hic trimetros subesse credamus, τι illud in tertio versu — longius quam decet ab adiectivo suo remotum quin etiam in alio versu positum.

Od. 12: — . . . . . οὐκ οἶσθ' ὅτι
οὐ τοῦ νεκροῦ τοῖς Τρωσὶν ἀλλὰ τῶν ὅπλων
ἔμελεν ὅπως λάβοιεν.

Merus est senarius, sed permirum videtur, quae sit causa cur ignotus ille poeta semper fere versus composuerit rationem haud elegantem secutus, qua usus id effecit, ut unam sententiam apte cohaerentem per duo tresve versus distribueret.

Od. 3: (ταῦτα δ' ἐν τοῖς ἐμοῖς κινδύνοις).
ἐνῆν ἅπανθ' ὅπου γὰρ ἦν κεχρημένον....

κεχρημένον vox quidem tragice sonans, sed perfectum, sitne apud tragicos obvium decernere non ausim. —

Od. 7: ὅστις γε πρῶτον ὅπλ' ἔχεις ἄρρηκτα καί....

Suspectus mihi versus videtur quia non verisimile est poetam adjectiva ἄρρηκτα καὶ ἄτρωτα separasse; etenim h. l. non duo inter se diversae proprietates armis attribuuntur, sed altera est ὑπερβολὴ prioris, qua cavillatur Ulixes Aiacis fortitudinem.

id. καὶ σοὶ μόνῳ δὴ τεῖχος οὐκ ἔσθ' ὡς σύ φῄς.

Quinque deinceps monosyllaba haud pulchre terminant senarium; praeterea laeditur lex Porsoniana: οὐκ ἔσθ' ὡς σὺ φῄς.

Ai. 2: τοῦ μὲν γὰρ εἰ 'κράτησαν, ᾠκίσαντο τ' ἄν
τὸ σῶμα καὶ τὰ λύτρ' ἐκόμισαν Ἕκτορος.

'κράτησαν et λύτρ' ferri possunt. In codicibus legitur: τοῦ Ἕκτορος ἐκομίσαντο — retinenda est media forma, quae h. l. sola quadrat; verba τοῦ Ἕκτορος sine causa transponuntur.

Ai. 7: —ἐγὼ μὲν οὖν—
ὑμῖν λέγω τοῖς οὐδὲν εἰδόσιν κριταῖς.

κριταῖς καὶ δικασταῖς sejungi non posse e tota sententia apparet, porro καὶ δικασταῖς vix ad iambicum metrum

potest aptari; dein poeta quisquis fuit, adamasse videtur inferius iambicorum versuum genus, quod constat verbis, quae singula iambos efficiunt, aut verborum conjunctionibus numeris iambicis iam adstrictis. Sic h. l: *ἐγὼ | μὲν οὖν | ὑμῖν | λέγω.*

Postremum quid tandem praeter *ῥυθμὸν* ex fortuito iamborum concursu ortum demonstrat nobis tragicam inesse memoriam? Quod si verum esset, pullularent reliquiae tragicae apud Demosthenem, Isocratem aliosque. [1])

Od. 6: *κ'ἀμοὶ μὲν, ὅτι τοὺς πολεμίους <λἄθρᾳ> κακῶς.*

λάθρᾳ inseruit Blass. cf. Ai. 5: *ἐγὼ δὲ οὐδὲν ἂν λάθρᾳ τολμήσαιμι πρᾶξαι* et Od. 6: *φανερῶς ἐμόχθεις.* E versu recondito Rad. concludit recte inseruisse Blassium vocem *λάθρᾳ.* In adnotatione exposui *λάθρᾳ* esse inserendum propter sequens vocem *δειλίαν.* Etiamsi praeclare Aiacis et Ulixis verba cohaereant, tamen credo non opus esse, ut prorsus iisdem verbis utantur. Nam si id verum esset non *λάθρᾳ* solum in Ulixis verbis, sed *κακῶς* etiam in Aiacis verbis addendum esset: maximam vim esse in oppositione *τοῦ κακῶς πράττειν* (*ποιεῖν*) et *κακῶς πάσχειν*, minorem autem multo in oppositione *τοῦ λάθρᾳ* et *κακῶς* quilibet facile sentiet, qui utriusque orationes tenorem intellexerit.

Post hosce versus proponit exempli causa Radermacher specimina quaedam versuum, quos levi mutatione plerumque refinxit, quamquam non prorsus ea ipsa forma eos olim scriptos fuisse affirmans.

Ai. 1: *ὑμεῖς δ'ἄρ'οὐδὲν εἰδότες δικάζετε.* [2])

---

[1]) Citare hic lubet exempla, quae attulit Norden ll., p. 54 nt. 1: Was soll man ferner davon sagen, wenn man die Behauptung hört, in Cic. de or. III, 20: complexi plus multo etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest — seien ein hexameter + pentameter? Ebenso lächerlich ist es, wenn als Hexameter aufgeführt wird Cic. pr. Arch. 1: in qua me non infiteor mediocriter esse versatum.

[2]) Confer in hisce textum additum.

Obstat quod moleste caremus articulo a Rad. deleto (*οἱ οὐδὲν εἰδότες*); contra quid sibi velit *ἄρα*, docere nos vir doctus omisit.

id. *καίτοι δικαστῶν μὴ εἰδότων ποία τις ἄν*

(Mutatur verborum ordo, denuo monosyllabum in fine.)

δίκη γένοιτο;

Mutilatur sententia, nam disjungi nullo modo possunt a sequentibus, quae versus formam non adsciscunt: *καὶ ταῦτα διὰ λόγων*, etenim *δίκη* quae verbis tantum peragetur a judicibus ignaris, ab Aiace acerbe opponitur *τῷ πράγματι*, *ὃ ἐγίγνετο ἔργῳ*.

Ai. 5: *κἀγὼ κακῶς μὲν οὐκ ἂν ἀνσχοίμην κλύων.*

Mutatur verborum ordo, perperam, nam *μὲν* ponitur post *κακῶς*, quod debet poni post *ἐγώ*. Sed si in altero versu illud, quod omnino omitti non potest, adiectum fuit: ⏑ — ⏑ — — *οὐδὲ γὰρ πάσχων κακῶς*, quid obsecro in initio huius senarii omisit auctor, quod fuerat in tragoedia? An forte: *μὰ τοὺς ἀθανάτους*!!

id. *ὁ δὲ κ' ἂν κρεμάμενος, εἴ τι κερδαίνειν ἔχοι.*

In plerisque codicibus *εἴ γε κερδαίνειν τι μέλλοι*. Usener reposuit *ἔχοι*. Verum *γε* in versu non recte omittitur; requirimus enim „si saltem" sive „dummodo" *εἴ γε*.

κρεμάμενος: suspendi se patiatur; licetne tragico incondita hac voce ita uti?

Ai. 6: — *ἴσως δὲ καὶ πείσει λέγων,*
ὡς εὖ πέπρακται. κἄτα τῶν Ἀχιλλέως
ὅπλων ὅδ' ἰρύσυλος ἀξιοῖ κρατεῖν;

Pulchre reconditi versus, opinor, cuique placebunt. Levissimae sunt mutationes.

Ai. 7/8: *πρὸς ἔργον ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει λόγος*
οὐδ' ἔστιν ὑμᾶς ὅ,τι λέγων ἀνὴρ <ὅδε>
ἐπωφελήσει.

Prima sententia proverbii instar cuicunque in ore est. Cur igitur ex tragoedia potissimum sententiam eiusmodi petamus? *ὅδε*, quod deest in textu, Rad. suo Marte addidit praeter necessitatem, nam sufficit ad sententiam *ἀνήρ*; scimus idem profecto ad qualem virum haecce Aiacis verba spectent.

Ai. 9: *ὃς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος τείχους ἄτερ....*

Summam vim habet in ea sententia (cf. textum) *καὶ* illud ter repetitum et initio singulorum intervallorum positum. Moleste enim id in Radermacheri versu desideramus, licet idem lepide excogitaverit *ἄτερ*.

Od. 4: *ἐμὲ δὲ τὸν ἐξευρόνθ' ὅπως ἔσται τόδε....*

Senarius sine ullo vinculo e sensu distractus. Deest caesura.

Od. 7: *ὅστις γε πρῶτον ὅπλ' ἔχεις ἄρρηκτα<τε>*
κἄτρωτα, δι' ἃ σέ φασιν ἄτρωτον πέλειν.

σῖν ἄτρ — minus recte producitur *ἄτρ*.

ἄτρωτος bis repetitum in eodem versu displicet, rectius Aias ipse diceretur *οὐ τρωτός* — *πέλειν* pro *εἶναι*, iure suo reposuit Radermacherus; iam minus recte *δι' ἅ σε* pro *δι' ἅπερ* — sed ubi tandem versificandi finis, si inter septem vocabula tria plus minusve mutantur, ut trimetrum lucremur?

Od. 11: *κ'ἀμοὶ μὲν αὐτὸς ἦν ἂν εἰς αὐτοὺς λόγος....*

Mutatur ordo, reponitur *εἰς* pro *πρὸς*, sed attendas quaeso, quibus pedibus constet senarius: *κἀμοὶ | μὲν αὖ | τὸς ἦν | ἂν εἰς | αὐτοὺς | λόγος* — quo quid potest esse inelegantius?

id. *δυοῖν μὲν οὐκ ἂν φροντίσαις, ἑνὸς δέ γ'ἂν....*

ἂν monosyllabum iterum in fine versus. voce *γε* sententia non indiget.

Od. 13: *κακὸν μέγιστον τοῖς ἔχουσιν ἀμαθία.*

Versus, proverbii instar lepide refictus.

Od. 14: *σὲ δ'ὡς ἐγῷμαι, τὴν φύσιν προσεικάσει*
νωθέσι τ'ὄνοισι καὶ βόεσσι φορβάσιν.

Cuius comparationis origo ad Homerum pari iure ac ad tragoediam est referenda. cf. Blass. ll.

Post haec Radermacherus plures deinceps finxit senarios ex Od. 5—6.

ἀλλ'εἴπερ ἐκ τῶν εἰκότων τεκμήριον,
κακῆς ὑπ'ὀργῆς σαυτὸν ἐργάσει κακῶς.
κἀμοὶ μὲν ὅτι τοὺς πολεμίους λάθρᾳ κακὰ
μέγιστ'ἔδρασα, δειλίαν ὠνείδισας,
σὺ δ'εἴ τι φανερῶς κἄτ'ἐμόχθησας μάτην,

ἠλίθιος ἦσθά γ'. ὅτι δ'ἔδρας πάντων μέτα
οἴει κρατῆσαι κ'ἀρετῆς λέγεις πέρι;
ὃς πρῶτον οὐκ οἶσθ'οὐδ'ὅπως μαχητέον,
ἀλλ'ὥσπερ ὗς τις ἄγριος θυμοῦ γέμων.....

Longa haec sectio in metricam formam redacta dissolvitur in novem senarios. Singulos hosce versus, quos Radermacherus ingeniose saepe formavit tractare supersedeo: graviores insunt mutationes a textu, verba adjiciuntur quibus tantummodo *πρὸς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ* opus est, male interdum verborum ordo et copulatio, sententiis aptissimae dissolvuntur — denique, fatendum erit, orationem poetae quem sibi finxerit Radermacherus, multo minus Aiaci atque Ulixi aptam fuisse quam Antisthenis declamatiunculas.

Exempli gratia quaedam indicabo, quae me primo obtutu offendebant.

Lepide sed audacter *τεκμήριον* repositum pro: *τι χρὴ τεκμαίρεσθαι.*

In senario *κακῆς ὑπ'ὀργῆς σαυτὸν ἐργάσει κακῶς* (pro *οἴομαι σε κακόν τι ἐργάσεσθαι*) vix *κακόν τι* conjunctum cum verbo *ἐργάσεσθαι* desiderare possumus, quam compositionem tragicos quoque adamasse constat [1]). *κακῶς* contra adamant conjungere cum *δρᾶν, ποιεῖν, πράττειν*, quum usus *κακόν τι* aut *κακὸν* objectum fecerit verbi *ἐργάζεσθαι.*

In versu: *σὺ δ'εἴ τι φανερῶς κᾆτ'ἐμόχθησας μάτην* (pro *σὺ δ'ὅτι φ. μάτην 'ἐμόχθεις... καὶ μάτην ἠλίθιος ἦσθα*) *κᾆτ'ἐμόχθησας* aoristus moleste fertur, imperfectum necessarium est durativum, quo ostenditur Aiax semper vires suas frustra intendisse. *κᾆτ'*: et dein, absurdum videtur, nam *μάτην* indicat Aiacem frustra elaborasse.

— Haec sunt, quae vir doctus de reliquiis metricis tradidit: adjicit autem minime sibi dubium videri, quin plures insint partes numerosae, quae haud difficile a quovis in meros senarios redigi possint. Utinam ipse

[1]) cf. Soph. Phil. 775, 916, 917. Ai. 109. El. 1307. Eur. Heracl. 806.

fecisset, nam attinebat causam per se quidem non validissimam quam plurimis posset subsidiis firmari. Etenim, quicunque Valckenarii disputationem (Diatr. in Eurip. perd. dram. reliq. c. XI) de oratione Dionea LIX inspexerit, versusque a Valckenario refictos cum Radermacheri conaminibus composuerit, hoc mihi dabit longe venustiores ab illo inventos esse trimetros Euripideos, quam hi sunt quos ps-Antistheni tribuit Radermacherus.

Verum, dixerit quispiam, adsunt tamen, et abundant in declamatiunculis partes numeris adstrictae iambicis, non minus plane quam in Dionis oratione hic inveniuntur tragicae dictionis vestigia. Cuius rei causa haec est: Antisthenes, Gorgianae artis imitator summopere *τὴν τῶν ὀνομάτων σύνθεσιν* et *τὴν τῶν ὀνομάτων ἐκλογὴν* curat adeoque stilum figuris et periodis ornat, ut id assecutus sit, quod iam Aristoteles de stilo artificioso observat: *ὅτι ἄριθμον ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις* [1]). Talem orationem igitur numeris adstrictam esse perspicuum est.

Longe itaque abest, ut suffrager iudicio quod de oratiunculārum elocutione hisce verbis fert Radermacherus (l.l. p 574): „Nirgendwo findet sich eine halbwegs kunstvolle rhetorische Periode." De quibus verbis plura addere iam vix necesse mihi videtur, postquam data opera in huius capitis initio exposui, quot qualesque proprietates stili artificiosi in utraque declamatiuncula occurrant.

Declamationes praeterea Antisthene indignas existimat Rad. quia inficete et inculte scriptae sint, quum a veteribus propter stilum potissumum laudatus sit Cynicus.

Sed etiamsi eius stilus celebraretur, nequaquam ex hac laude sequitur, ut *τῇ ποικίλῃ καὶ διαπεπλεγμένῃ λέξει* Isocratis aequaliumve, similis fuerit, immo vero ipsa verborum austeritas, vivida et ferox potissimum dicacitas, dictio demum concisa et acerba ubique tam in fragmentis quam in declamationibus obvia demonstrant Cynicum Antisthe-

---

[1]) Arist. Rhet. III, 9. 1409 B. 6. cf. Norden ll., p. 42 sq.

nem urbanitatem et elegantiam non tantopere curavisse quam veritatem et acumen dictorum. [1])

In fine Radermacherus quaerit ex cuius tragici exemplo auctor declamationes refinxerit. Originem sibi invenisse videtur apud Aristotelem, qui in Rhetorica II. 23 [2]) 1400 A. loquitur de tragoedia quadam Theodectis, quae inscripta erat Αἴας.

Quum enim appareat ex eo Aristotelis loco in Theodectis Aiace magnam dedisse operam Ulixem ut iudicibus exponeret qui factum esset ut ipse, quamquam Aiace fortior, non talis videretur, iam certum adesse originis indicium censet Radermacherus: nonne enim in Od. 9 Ulixes contendit specie tantum Aiacem fortem et bellicosum se ostendisse, semet ipsum contra nequaquam τοῦ δοκεῖν γλιχόμενον omnia suscepisse, quia non videri fortis in proelio gestiret sed facere, quod opus esset?

Hic nolo respondere quod mihi legenti Radermacheri verba statim occurrebat, talia quidem unumquemque Ulixen in scena Aiaci adversario objicere solere. Nam Rad. qui ita pergit: „Man darf hier nicht einwenden, bei jeden Waffengericht habe Gleiches oder Aenliches gesagt werden müssen," eo argumento uti vetat.

Aliud est, quod nescio quomodo neglexit Radermacherus. Si revera Theodectes fuit, qui exemplum praebuerit orationum auctori, qui fit, ut hic omiserit ex Theodectis fabula in Aiacis orationem transferre acerbissimum illud Aiacis convicium quod ex eadem Theodectis fabula nobis servavit Arist. ll. p. 1399: Καὶ τὸ ἐκ τοῦ Αἴαντος τοῦ Θεοδέκτου, ὅτι ὁ Διομήδης προείλετο Ὀδυσσέα, οὐ τιμῶν, ἀλλ' ἵνα ἥττων ᾖ ὁ ἀκολουθῶν.

---

[1]) Rectissime Cicero Antisthenem hominem acutum magis quam eruditum appellat.

[2]) ἄλλος (sc. τόπος), τοῖς προδιαβεβλημένοις καὶ ἀνθρώποις καὶ πράγμασι, ἢ δοκοῦσι, τὸ λέγειν τὴν αἰτίαν τοῦ παραδόξου. — καὶ οἷον ἐν τῷ Αἴαντι τοῦ Θεοδέκτου, Ὀδυσσεὺς λέγει πρὸς τὸν Αἴαντα διότι, ἀνδρειότερος ὢν τοῦ Αἴαντος, οὐ δοκεῖ.

*

Denique nonne *ὑπάτοπον* videtur, idem opusculum, quod propter stilum parum rhetoricum abiudicaveris Antistheni, deinde vindicare Theodecti, qui quum primum diligens Isocratis discipulus rhetoricorumque studiorum peritissimus fuisset postea demum tragicus sit factus.

Sed haec hactenus. Satis mihi de Radermacheri scripto disseruisse videor — laudabit quisque ingeniosam rationem, qua nisus declamationes Antistheni abjudicavit, sed adversabitur eius ratiocinationi, ni fallor quicunque data opera indolem Antisthenicam utriusque oratiunculae perspexerit.

THESES.

I.

Aias et Ulixes declamationes iure Antistheni Cynico attribuuntur.

II.

Diog. Laert. VI. 4.

(Ἀντισθένης) ἐρωτώμενος διὰ τί ὀλίγους ἔχει μαθητὰς, ἔφη· ὅτι ἀργυρέᾳ αὐτοὺς ἐκβάλλω ῥάβδῳ.

Verba recepta retinenda sunt. (Winckelm.: Κερκυραίᾳ, Mullach.: ἀγρίᾳ.)

III.

Eurip. fr. 198. (Dind.)

εἰ δ' ἐυτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος
μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται,
ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.

Legendum est: χρὴ καλεῖν.

IV.

Soph. Ant. 1.

Ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα.

Propono: κεδνὸν.

V.

Dio Chrys. Orat. VIII. § 35 (de Arnim).

— δείξας ὅτι οὐδὲν ἄξιον ἐφρόντιζε τοῦ πυρετοῦ.

Expunge: ἄξιον.

VI.

Lucret. V. 312.

denique non monimenta virum dilapsa videmus?
quaerere † proporro sibi † cumque senescere credas.

Versus ita constituendi sunt:

denique non monimenta virum dilapsa videmus,
cedere proporro, quodcunque senescere cernas?

VII.

Lucret. V. 878—881:

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
esse queunt duplici natura et corpore bino
ex alienigenis membris compacta, potestas
hinc illinc partis ut non par esse potissit.

Lege 879 sq.:

esse queat duplici natura, et corpore bino
ex alienigenis membris compacta potestas,
hinc illinc facies ut non par esse potissit.

VIII.

Cic. Lael. XII (40).

Deflexit enim iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum.

Lege: consueto.

IX.

Cic. Tusc. Disp. V. 106:

quam sit ea contemnenda sapienti, paulo ante dictum est.

Assentior Heinio corrigenti: sapienti.

X.

Si quis quid adversus leges sacratas fecisset, occidere eum non licebat, antequam consecratio capitis praecessisset.

XI.

Iniuria opinatur Droysen (Gesch. d. Hellen. I. p. 395.) carmina satyrica apud Plutarchum Vit. Alex. 50. 4. memorata, spectare ad Zopyrionis exitum.

XII.

Diod. Sic. XVII. 65.

— ἐκ δὲ Θρᾴκης ἱππεῖς μὲν ἑξακόσιοι, Τραλλεῖς δὲ τρισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι,

Lege pro Τραλλεῖς: πελτασταὶ.....

XIII.

Idem ac Platonem Antisthenem etiam statuisse de communibus matrimoniis recte opinatur Duemmlerus.

XIV.

Iniuria H. Dettmer dubitat aram Herculis etiam fuisse in Academia.

XV.

Faciendum est cum Muellero opinante victoriam Autolyci Conviviumque Xenophontis referenda esse ad Ol. 91. 3 i. e. annum 414.

APUD G. A. SOIE & FIL. AMSTELODAMI.

T5-ADZ-995